Ciceron de amicitia

Del Aposento del Real.

M. TVL. CICERO-nis Paradoxa, ad M. Brutum,

FRANCISCI SYLVII, XYSTI Betulėij, cuiuſdam etiam incerti authoris, cõmentariis, & annotationibus B. Latomi, locis item aliquot multùm quàm antea emendatis per Leodegarium à Quercu, illuſtrata.



PARISIIS,

Apud Thomam Richardum, ſub Bibliis aureis, è regione collegij Remenſis.

1 5 5 1.

IN M. T. CICERONIS PARADOXA
Argumentum, per Franciscum Syluium.

PAradoxa interpretatur Quintilianus lib.9. inopinata: Cicero in lib. Academicarum Quæstionum 4. admirabilia. παρὰ enim præter, & δόξα opinio Græcè dicitur. Hæc autē quia discrepant ab opinione populari, admirabilia videntur. Ea autem à Zenone Citieo, qui Stoicorum author fuit, originem habent. Cuius illæ sententiæ atque præcepta sunt apud Ciceronem in Oratione pro L. Murena: Sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiusquam delicto ignoscere. Neminem misericordem esse nisi stultum & leuem. Viri esse, neque exorari, neque placari. solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges. Nos autem qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt. Omnia peccata esse paria. Omne delictum scelus esse nefarium. Nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocauerit. Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Iidem Stoici dicunt, vt ait idem lib. quarto Academicarum: Omnia quæ vbique essent, sapientis esse: Neminem Consulem, Prætorem, Imperatorem nescio an ne Quinqueuirum quidem nisi sapientem, solum ciuem, solum liberum. insipientes omnes, peregrinos, exules, seruos, furiosos. Denique scripta Lycurgi, Solonis, Duodecim tabulas nostras non esse leges, ne vrbes denique aut ciuitates, nisi quæ essent sapientum. Alia quoque sunt apud Diogenem Laertium in vita Zenonis Citiei in lib.7. quæ prudens omitto. Ex his tam multis Stoicorum Paradoxis Cicero in hoc libello sex tantum tractat: vt inde specimen prębeat alia quoque probari posse. Hecatonem Stoicum alia quoque multa probasse coniicere licet: quem idem Laertius eodem lib. citat ex lib. de Paradoxis 3. Ad M. Brutum.) Hic est Brutus qui fuit vnus ex Cæsaris interfectoribus, cuius vitam Plutarchus scripsit. Cicero quantum hunc dilexerit, scribit ad M. Cælium lib. Epist. famil. 2. Brutum, inquit, à me amari intelligis. Quid est caussæ cur mihi non in optatis sit complecti hominem florentē ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis, Collegam meum præsertim, & in ipsa collegii laude & sciētia studiosum mei. Idem ad Dolabellam lib.9. Semper amaui M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos honores, singularem probitatem atque constantiam.

M. Tul. Ciceronis Paradoxa,

AD MARCVM BRVTVM.

ANimaduerti Brute, ſæpe M. Catonem auunculum tuum, cùm in Senatu ſententiam diceret, locos graues ex philoſophia tracta re, abhorrentes ab hoc vſu forenſi, & publico: ſed dicẽdo conſequi tamen, vt illa etiam populo probabilia viderẽtur. Quod eò maius eſt illi, quàm aut tibi, aut nobis, quia nos ea philoſophia plus vtimur, quę peperit dicendi copiam: & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepent ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſanè probantur in vulgus: & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum, ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit. Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicẽdo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Quod cùm ita putarem, feci etiam audacius, q̃ ille ipſe de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de charitate patriæ, Stoicè ſolet, nullis oratoriis ornamentis adhibitis, dicere: Ego autem illa ipſa, quæ vix in gymnaſiis, & in ocio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Quæ quia ſunt admirabilia, contraq; opinionem omniũ, ab ipſis etiam παράδοξα appellantur, tentare volui, poſſéntne proferri in lucem, id eſt in forum, & ita dici, vt probarentur: an alia quædã eſſet erudita, alia popularis oratio. Eoq́; ſcripſi libentiùs, quòd mihi iſta παράδοξα, quæ appellant, maximè videntur eſſe Socratica, longeque veriſsima. Accipies igi-

LATOM.

Dicit ſe motum Catonis exẽplo audacius quàm illũ de Paradoxis diſputaſſe, eáſq; diſputationes ſe ad Brutũ mittere.

Cõparatione ſe ctarum oſtẽdit, Catoni quàm ſibi & Bruto difficilius eſſe. Loc⁹ eſt ex efficiẽtib⁹

Intelligit argumentãdi genus, quod interrogãdo aduerſarium per inductionẽ colligitur.

Conferẽdo gen⁹ diſputatiõis ꝓbat ſe audacius quàm Catonem feciſſe: à loco, à materia & efficientibus.

Communes loci cõmunes ſententiæ, & vulgo etiã probabiles.

παράδοξα. i. à cõmuni opinione abhorrẽtia.

Popularis oratio ad vulgi captũ accõmodata.

Alia ſcribendi cauſa.

tur hoc paruum opusculum, lucubratum his iam contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit. Degustabis & hoc genus exercitationum mearum, quibus vti consueui, cùm ea quę dicuntur in scholis θετικῶς, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus in apertum vt proferas, nihil postulo. Non enim est tale vt in arce poni possit, quasi Minerua illa Phidiæ, sed tamen vt ex eadem officina exisse appareat.

Tusculanas quæstiones intelligit.

θετικὰ.i.proposita, vnde quæstio infinita apud rhetores.

Cato auūculus Bruti.

Dicere sētētiam & ferre.

FR. SYLVIVS. Catonem auunculum tuum) Seruilia Bruti mater, Catonis minoris soror fuit, vt ait Asconius Pædianus: scribit Plutarchus hunc Brutum referre genus paternum ad Brutum eum qui Tarquinios ex vrbe eiecit: & maternum ad Seruilium Halam, à quo magistro equitum Sp. Melius occisus est. Sententiam diceret) id est deliberaret. Senator enim sententiam dicit: Iudex autem dicit & fert. Publico) id est concionatorio, quod genus ad populum fit. Dicendo) id est vi orationis & copia. Consequi) id est obtinere. Etiam populo) id est non solùm Senatui, sed etiam populo. Probabilia) id est verisimilia & credibilia. Quod eo maius) id est magis arduum & difficile. Ea philosophia) Academica, aut Peripatetica, quanuis vterque Academicus fuerit: sed nō longè differunt Academici & Peripatetici. Quæ peperit dicendi copiam) Quanuis multa sint philosophiæ genera, tamen de philosophia morali præcipuè locus hic intelligitur. Quod genus semper oratoris fuit. Carneades Academicus, vt ait Cic. lib. de Orat. 1. significabat eos qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderēt, nihil planè tenere, neque posse quenquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset. Idem de Claris Oratoribus, Peripateticorum, inquit, & Academicorum consuetudo in ratione dicendi talis est, vt nec perficere oratorē possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Paulò pòst commendat Platonis vbertatem, vim Aristotelis, suauitatem Theophrasti. Quæ non multum discrepant ab opinione populari) Peripatetici & Academici corporis & fortunæ bona esse dicunt. Negant Stoici quicquam esse bonum præter virtutem. Vitia esse paria hi dicunt, illi negant. Aliáque innumerabilia sunt, quibus non cōuenit inter Stoicos & Academicos, & Peripateticos. In quibus hi dicunt ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari. Et ea sentit) Stoici aliter in scholis de virtute disputant, aliter domi viuunt. M. autem Cato homo ingeniosissimus authoribus eruditissimis præceptoribus inductus Stoicorum præcepta arripuit, neque disputandi causa, vt magna pars, sed ita viuendi, vt ait Cicero pro L. Murena. Non igitur aliter sentit Cato ac disputat. In ea hæresi) id est in ea secta, Stoicorum scilicet. Est autem vocabulum Græcum ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, id est ab eligendo. Quæ nullum sequitur florem orationis) Stoici enim sunt inelegantes, quanquam vt ait Cicero libro de Finibus 4. scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam: sed sic, vt si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Neque dilatat argumentum) id est dicendi copia non dilatat materiam, vt Peripatetici & Academici faciunt. Catonem tamen eloquētem fuisse Cicero de Claris oratoribus tradit. Cuius verba pluscula huc ascribo, quòd ad hanc rem pertineant. Hoc, inquit, idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis: Omnes vt ferè Stoici prudentissimi in disserendo sint, & id arte faciant, sintque architecti penè verborum: iidem traducti à disputando ad dicendū, inopes reperiantur, vnu

Philosophia quātum conferat oratori.

Stoicorū disputatio & vita.

M. Cato Stoicus.

Hæresis.

Stoici inelegantes.

Catonis eloquētia.

excipio Catonem, in quo perfectißimo Stoico summam eloquentiam non desiderem. Stoicorũ enim in dialecticis omnis cura consumitur. Vagum illud orationis & fusum & multiplex non adhibetur genus. Cato autem habet à Stoicis id quod ab illis petẽdum fuit: sed dicere di dicit à dicendi magistris, eorumque more se exercuit. Sed minutis interrogatiunculis) Solent enim Stoici breuiter perstringere argumẽta, vt ait Cicero lib. Tusculanarum Quæstionum 3. Et vt idem ait lib. de Finibus 4. Pungunt quasi aculeis, interrogatiunculis angustis, quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, & iidem abeunt, qui venerant. Horum astrictior est oratio, vt ait Cic. de Claris oratoribus, aliquantóque cõtractior, quàm aures populi requirunt. Eodem authore lib. de Orat. 3. orationis genus Stoici habent fortasse subtile, & certè acutum, sed vt in oratore exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum: attamen eiusmodi, quo vti ad vulgus nullo modo poßis. Argumenta Stoicorum idem lib. de Orat. 1. laqueos disputationum & interrogationum appellat. Nec omnia eorum argumenta sunt per interrogationem, sed certè acuta sunt & breuia. Quale est illud lib. Tusculanarum 3. Quemadmodum misericordia ægritudo est ex alterius rebus aduersis: sic inuidentia ægritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam inuidere: non cadit autem inuidere in sapientem, ergo ne misereri quidem. Quod si hoc ægrè ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret. Abest ergo à sapiente ægritudo. Hæc, inquit, sic dicuntur à Stoicis, concluduntúrque contortius. Itẽ in lib. de Finibus 3. Consectari me, inquit, Stoicorum breuia & acuta delectat. Cõcluduntur igitur eorum argumẽta sic, Quod est bonum, omne laudabile est: Quod autem laudabile est, omne est honestum: Bonum igitur quod est, honestum est. Quasi punctis) id est rebus breuißimis. Pũctum enim, quod breue admodum est, dicitur à pungendo. Inde punctum temporis Cic. sæpe, & pro Murena, interpunctiones clausulas breuißimas appellat: Res, inquit, sunt paruæ propè in singulis literis & interpunctionibus verborum occupatæ. Et quia spinæ pungunt, orationis genus quo Stoici vtuntur, Cic. appellat spinosum, vt lib. de Oratore 1. Sed hæc erat spinosa quædam & exilis oratio, longéque à nostris sensibus abhorrebat. Lib de Finibus 3. Stoicorum non ignoras quàm sit subtile vel spinosum potius dicendi genus. Eadem ratione idem lib. Academicarum 4. Stoicorum dumeta appellat: Quum sit, inquit, campus, in quo exultare poßit oratio, cur eam in tantas angustias, & in Stoicorum dumeta compellimus?

Stoicorũ interrogatiunculæ.

Pũctum & interpunctiones.

Spinosum genus orationis.

Dumeta Stoicorum.

Efficit) id est probat & concludit. Qua in re id verbum sæpe & à Quintiliano & à Cicerone dicitur. Sed nihil tam incredibile) Sibi facilius esse quàm Catoni facere, vt hæc Paradoxa viderentur probabilia significat. Dicendo) id est vi & copia orationis. Feci etiam audacius) Nam maiora aggressus quàm Cato. De magnitudine animi) id est de magnanimitate. Vt in virũm sapientem non cadere dolorem, non cadere ægritudinem. De cõtinentia) Vt virum bonum voluptate non frangi. De morte) Vt mortem malum non esse. De omni laude virtutis) Vt sine virtute beatè viui nõ posse, cum illa posse. Stoicè solet nullis oratorijs.) In codice antiquo inuenio scriptum, Stoicè solet oratorijs ornamentis, &c. Quæ lectio si vera esset, cõueniret cum eo, Feci etiã audacius: sed ab illo discreparet, In ea hæresi est, quæ nullum sequitur florem orationis, &c. In gymnasiis & in ocio) id est in scholis & disputationibus. Ludens) vt se audacius fecisse ostendat. In communes locos) qui sunt generales citra vllum personarum complexum. παράδοξα appellantur.) Nam παρὰ præter, & δόξα opinio Græcè dicitur, vt antè dixi. Vt probarentur) id est vt crederentur. Erudita) quæ eruditi inter se vterentur, aut in scholis, aut in circulis, aut scribendo. Maximè videntur esse Socratica) Authore Cicerone lib. Academicarum 4. Sũt Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quæ Paradoxa nominantur. Idem con

Paradoxa.

Socratica.

tendit omnia non esse Socratica. Nunquam enim diceret Socrates sapientes solos reges, solos diuites, solos formosos, &c. Socrates autem nihil vnquam scripsit, sed eius sententiam Plato scriptis mãdauit, vt est apud Ciceronem lib. de Oratore 3. Zeno qui fuit Stoicorum author, fuit post Socratem. Ne credas paradoxa hæc Socratica post Zenonem nata esse. Cõtractioribus) id est minoribus. Quod enim contrahitur, fit minus. Inde contractio frontis, & contractio animi à Cicerone sæpe dicitur. Trahere verò aut extrahere contrarium est, id est ampliare, dilatare, vt extrahere tempus aut negocium, pro differre, apud T. Liuium sæpe licet inuenire. Illud maiorũ vigiliarũ munus) Quæstiones Tusculanas intelligit. Quantum Cicero M. Brutum dilexerit, antè diximus. Multos ei Cicero ex suis libros nuncupauit, vt libros quinque de Finibus bonorum & malorum, libros tres de Natura Deorum, librũ quendam Epistolarum, librum de Oratore, libros de Claris oratoribus, hunc librum Paradoxorum, & Quæstiones Tusculanas. In Tusculanis Stoicorum disciplinam sectatus est: in quibus tam diligens Cicero fuit, tam accuratus, vt nullum existimem in philosophia librum ab eo scriptum esse, in quo magis vigilauerit, in quo vires ingenij, atque eloquentiam maiorem ostenderit. Fuit igitur hoc munus maiorum vigiliarum, longioribus & pluribus noctibus lucubratum. θετικὰ *id est positiua: &, vt vulgò appellant, positiones, quum videlicet ponitur de quo quis disputare velit. In apertũ vt proferas) id est vt edas & publices.*

Cõtractiores no ctes.

M. Bruto multos libros Cicero nuncupauit.

Tusculanæ quæstiones.

Tale) id est ita perfectum. In arce) id est in publico, in loco eminentiore. In vrbibus enim arces appellantur, quæ vulgò castella dicuntur. Minerua autem Athenis in arce colebatur. Quasi illa Minerua Phidiæ) Phidias statuarius dijs quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur. In ebore verò longè citra æmulum, vel si nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem fecisset. Cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiã receptæ religioni videtur, adeò maiestas operis deum æquauit. Author est Quintilianus lib. 12. Cicero in libro de Oratore ad Brutum negat Phidiæ simulachris quicquam in illo genere videri perfectius. Hic speciem sui similem in Mineruæ clypeo inclusit, quum inscribere non liceret, vt ait Cicero libro Tusculanarum Quæstionum primo. Eam si quis dissoluisset, collocationis vniuersam speciem sustulisset, vt ait idem libro de Oratore ad Brutum. Ex eadem officina) ex quo exiit illud maiorum vigiliarum munus. Persistit autem in Phidiæ translatione.

Phidias eiúsque Minerua & Iupiter.

BETVLEIVS. Paradoxa.) Sicut Pythagorici symbola quædã habuerunt, atque aurea præcepta: sic Stoici παράδοξα *sua dogmata nominarunt, quæ Cicero non vno loco admirabilia interpretatur, sicut etiam Græci* θαυμαστὰ & ἀπροσδόκητα, *eò quòd sint opinione & expectatione maiora. Componitur enim vox à* παρὰ καὶ δοκέω, *quod futurum nõ modò regulariter format* δοκήσω, *sed etiam ἀνομάλως* δόξω, *inde in indefinito primo* ἔδοξα, *& subducto augmento relinquitur* δόξα, *id est, existimatio. Stoicos, opinor, Epicuræi sunt imitati, qui sua dogmata* κυρίας δόξας *appellare sunt ausi: titulo, vt Plinius inquit, propter quem vadimonium deseri posit. Ad M. Brutum.) Ad quem etiam Ciceronis liber Epistolarum de bello ciuili extat: cuius nomine Cicero clarorum oratorum Catalogum inscripsit, in quo Brutum & Atticum secum loquentes fecit: cui dicauit libros de Finibus bonorum & malorum, atque de Natura deorum. Brutus vicißim ad Ciceronem scripsit librum de Virtute, cuius de Finibus mentionem ipse Cicero facit. Animaduerti.) Exordium ab occasione & imitatione. Obserua exemplum Senatore dignum. Auunculum tuum.) Captatio beneuolentiæ à persona. Fuit autem non auunculus modò, verùm etiam socer. Nam quemadmodum Seruiliam Catonis Vticensis sororem matrem habuit, sic Portiam eiusdem Catonis filiam habuit coniugem. Ne desint mihi huius rei testes, citabo Plu-*

tarchum, apud quem in vita Cæsaris, cùm Cæsar Brutos propter gentilem huius Bruti, primum libertatis Romanæ vindicem, tanquam seditiosos, & suis tyrannicis conatibus resistentes, ingeminatis vocibus ceu turbulẽtos increparet, tantum effecit, vt se huic quoque Bruto, tanquam alteri libertatis vindici, & tyrannidis osori, ciues certatim iungerent. Inde inquã Plutarchus huius propinquitatis occasionem arripuit, his verbis: γένος μὲν ἐκεῖθεν εἶναι δοκοῦντα πρὸς πατέρων, καὶ μητρὸς δὲ ἀπὸ σερβιλίων οἰκίαν ἑτέρας ἐπιφανοῦς, γαμβρὸν δὲ καὶ ἀδελφιδοῦν κάτωνος. *Idẽ Plutarchus in Bruto:* σερβιλίας δὲ τῆς βρούτου μητρὸς ἀδελφὸς ἦν ὁ κάτων ὁ φιλόσοφος, ὃν μάλιστα ῥωμαίων ἐζήλωσεν οὗτος, θεῖον ὄντα, καὶ πενθερὸν ὕστερον γενόμενον. *Sed quia Genealogiæ ad historias exactè intelligendas plurimum adferunt momenti, Catonis genus ex A. Gellij noctibus, Plutarchi vitis, atque adeò ex Ciceronis passim monumentis, ab ipsis vsque Scipionibus deductum, lectori exhibebo.*


P. Scipio Nasica Serapion
Cato, prætor viuo patre designatus.
Tertia Aemylia.
P. Scipio Aemylian⁹ Africanus Minor
Gracchorum soror, Sempronia.
Scipio, qui Censor porticus in Capitolio fecit
Cato Censorius.
Paulus Aemylius.
Scipio valetudinarius.
Cornelia Gracchorum mater.
Scipio Nasica vir opt. à Senatu iudicat⁹
L. Scipio Asiaticus.
P. Scipio Africanus maior.
Tertia Aemylia.
Cn. Scipio, in Hispanijs periijt.
P. Scipio qui in Hispania occubuit.
Pomponia
Cor. Scipio

Cùm in senatu sentẽtiam diceret.) Cuius præclarum extat exemplum apud Sallustium, Oratio contra Catilinarios, aduersus Cæsaris sententiã habita. Neque in Senatu modò, sed etiam in militaribus orationibus, in locos philosophicos excursiones facere solitus fuit. Cuius rei clarißimum argumentum est, quòd apud Dyrrhachium orationem ad milites habuit de libertate, de virtute, de gloria, de contemnenda morte, quæ in philosophia didicerat, pro temporis commoditate disseruit: & oratione ad Deum conuersa, militum, qui pro patria iam pugnaturi erant, animos ita accendit, vt iam summo decernendi desyderio pugnam poscerent. Hæc Plutarchus. Eò magis.) Grauius, difficilius. Amplificatio à professione. Quia ea philosophia.) Academica. Nam Cicero non tantùm se debere scholis rhetorum, quãtum Academiæ spacijs, frequenter ipse testatus est, præsertim in Oratore ad Brutum hunc scripto. Nec Quintilianus dubitat, Platonem præcipuum philosophorum esse, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius cõfitetur. Ita Brutus etiam, vt de eo Cicero testatur, cùm in philosophia, tum in optimo philosophiæ genere multum processerat. Optimum genus philosophiæ Academiam veterem nominat, id quod Plutarchi testimonio certum fiet. scribit enim de eo, quòd audiuerit Græcos philosophos ferè omnes, nec vllius ipsorum disciplinæ vel expers vel ignarus fuerit: Platonicos tamen enixè coluerit, nouam & mediam Academiam missas faciens, veteri se addixerit, atque ob id Antiochum Ascalonitam ingenti admiratione obseruarit. Cato perfectus Stoicus.) Hoc latère neminem potest, qui Ciceronis de Finibus libros diligenter euoluerit. Inducit enim se cum Catone de summo bono disputantem: ibi ipse Academicas, ille Stoicas partes pro virili vterq; tuetur. Probantur in vulgus.) In vulgus probari, est populare, plausibiléque esse. Nam sic alibi: Sed tamen hoc euenit, vt in vulgus insipientium opinio valeat honestatis. Alij dicunt etiam, Ad vulgus.

In ea est hæresi.) Hæresin vetustiores Theologi, vt Epiphanius, Hieronymus & Augustinus, capitalem faciunt, σχίσμα veniale: infame vtrunque Christianis vocabulum, sed illud grauius. Hæreseos vocabulum alij sectam, alij factionem, alij disciplinam interpretantur: de quo apud Lactantium, nisi memoria me fallit, alicubi dixi. Cic. de Orat. 3. periphrasi honesta, familias inter se dißidentes dixit. Florem orationis.) Hinc floridum dicẽdi genus, de quo Cicero in Oratore: Est, inquit, quoddam etiam insigne & florens orationis, pictũ & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarũ illigantur lepôres: sed spretum à subtilibus, repulsum à grauibus. Plutarchus hoc genus poetæ frequens affirmans, sic describit: τὸ ἀνθηρὸν εἶδος τῶν λόγων ἐστὶν κάλλος ἔχον, καὶ χάριν ἐς τὸ τέρπειν καὶ ἥδειν, ὥσπερ ἄνθος. Stoicos autem eloquentiæ nihil operæ impendisse, Quintilianus lib. 10. docet his verbis: Minus indulsere eloquẽtiæ Stoici veteres. sed cùm honesta suaserunt, tum in colligendo probandoq; quæ instituerant, plurimũ valuerũt: rebus tamẽ acuti, magísque, id quod sanè non affectarunt, oratione magnifica. Item lib. 12. Stoici, sicut copiam nitorémque eloquentiæ ferè præceptoribus (vide num Præceptis rectius legas) suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut concludere subtilius contendunt. Cato tamen præter Stoicorum morem eloquens, (teste Fabio) senator fuit. Eloquentiæ siquidem ea de causa operam dedit, vt philosophiæ præceptis, aliquid roboris neruorúmque in agendo consultandóque adiungeret. Verba Plutar. sunt: ἤσκει δὲ καὶ τὸν ὀργανικὸν εἰς πλήθη λόγον, ἀξιῶν ὥσπερ ἐν πόλει μεγάλῃ τῇ πολιτικῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ μάχιμον εἶναί τι παρατρεφόμενον. Vide num εἰς πλήθη idẽ sit, quod suprà, in vulgus. Minutis interrogatiunculis.) Laertius de Chrysippi captionibus verba faciẽs, interrogatiunculis vsum scribit, τινὰς ἠρώτα λόγους.

Quasi punctis.) Sic terminos syllogismorum nominare videtur verius quàm Gryphos, Scyrpos, seu κυρτοὺς & laqueos. Metaphora à Geometris ducta, qui puncta σημεῖα nomi-

nant, partes videlicet, ex quibus lineæ conficiuntur minutiſſimæ. Sic de Orat. 2. puncta argumentorum occulere dixit: & in eodem, Stoicorum ſpinas, ſiue (vt in Academicis quæſtionibus nominat) dumeta notat, ipſos de ſuis acuminibus compungere dixit, quo loco Antonius præclarè de diſcrimine orationis popularis & dialectici dicẽdi generis diſſerit. Quod propoſuit.) Propoſitionem. ſic etiam vocat concluſionem, quæ in Syllogiſmo Rhet. propoſitio eſt. Sed nihil.) Amplificatio à laude eloquentiæ: qua fretus, hæc Stoicorum dogmata vulgò probabilia reddere conatur. Nullis oratorijs.) Quæ ſuperiùs de Catonis eloquentia notauimus, faciunt, vt Camerarij cenſuræ, & lectioni Venetæ libentius aſtipúler, & nullis expungam. Quæ vix in gymnaſijs.) His verbis indicat, quædam Stoicorum dogmata eſſe, vel à communi conſenſu non abhorrentia, vel omnino conſona. deinde τὰ παράδοξα, quæ cum omnium opinione pugnant, & ad hoc vt in vulgus probentur, maiori eloquentiæ vi opus habent. In locos communes.) Moſellanus quoque in Progymnaſmatis affirmat, tot eſſe locorum communium exempla, quot ſunt in hoc libello capita. Non arbitror opus, vt loci communis definitiones huc ex Aphthonio, Hermogene, ſeu Theone proferam.

Paradoxa appellantur.) Quintil. lib. 4. c. de exordio: Genera (inquit) cauſarum plurimi quinque fecerunt, honeſtum, humile, dubium vel anceps, admirabile, obſcurum: ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον. Sunt quibus rectè videatur adici turpe, quod alij humili, alij admirabili ſubiiciunt. Admirabile autem vocant, quod eſt præter opinionem hominum conſtitutum. In ancipiti maximè beneuolum iudicem, in obſcuro docilem, in humili attentum parare debemus. Nam honeſtum quidem ad conciliationem ſatis per ſe valet. In admirabili & turpi remedijs opus eſt. Et ob id exordium diuidit in principium & inſinuationem. Qui locus totus deſumptus videtur ex Ciceronis Rhetoricis, vbi de exordio agit. Neque abs re eſt quòd hæc annotaui. Nam erit fortaſſis qui dicat, hîc θέσεις tractari, & locos communes, ſeu quæſtiones generales, non cauſas. Atqui his reſpondebo eiuſdem Quintil. verbis, quibus docet parum referre, an quis in genere in vitia inuehatur, quod τῆς δια-περιλογίας eſt proprium, an certam aliquam perſonam perſtringat. Nam quid intereſt, inquit, Cato Martiam honeſténe tradiderit Hortenſio, an conueniátne res talis bono viro? de perſonis iudicatur, ſed de rebus contenditur. Nam ſicut Rhetorum præceptum eſt, ſæpe hypotheſim ad theſeis transferẽdas eſſe: ſic in theſibus ſæpe perſonæ, vt in his etiam Paradoxis nuncupatim vel laudantur, vt Regulus: vel vituperantur, vt Craſſus. Socratica.) Ad hæc reſpondet Maioragius. Cicero tamen in 3. de Orat. docet, philoſophos olim omnes Socraticos ſe dici voluiſſe, licet Socrates literam reliquiſſet nullam, Platonem tamen varios ipſius ſermones immortalitati ſcriptis ſuis tradidiſſe. Hincque diſsidium illud extitiſſe, quaſi linguæ & cordis, atque hinc philoſophorum inter ſe diſsidentium familias fuiſſe proſeminatas. Accipies igitur.) Epilogus continet dicationis occaſiones. His iam contractioribus noctibus.) Aeſtiuis videlicet. Hoc modo commendantur lucernæ Demoſthenis, Cleanthis, Ariſtophanis Grammatici, Epicteti. Hinc præclaræ illæ Auli Gellij noctes Atticæ, ſtudioſam iuuentutẽ ad nocturnas lucubrationes inuitare meritò debent. θετικά.) Quintil. lib. 10. cap. 5. In hoc optimè facient infinitæ quæſtiones, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in Rep. exerceri ſolebat. Sed quid opus eſt alienis teſtibus? Ipſe hoc ad Atticum ſcribens lib. 9. non teſtatur modò, ſed etiam exemplo, & eo Græco, comprobat. Sic inquam ad Atticum ſcribit: Sed tamen ne me totum ægritudni dedam, ſumpſi mihi tanquã theſeis, quæ & politicæ ſunt, & temporum horũ, vt & abducam animum à querelis, & in eo ipſo de quo agitur, exercear. deinde ſubiicit exemplum de Tyrannide. Cum his itaq; progymnaſmatis hæc quoque Paradoxa nominanda ſunt. Minerua Phidiæ.) Prouer-

biale quiddã redolet. Aristoteles de Mundo, de Phidiæ Minerua, interprete Budæo, sic scribit: Fama est etiam Phidiam illum statuarium, cùm Mineruam illam, quæ est in Arce, coagmentarent, in medio eius scuto faciem suam expreßisse, oculósque fallenti artificio ita deuinxisse simulacro, eximere inde vt ipsam si quis cuperet, minimè posset aliter quidem certè, quàm vt ipsum solueret simulacrum, opúsque eiusmodi compactile confunderet. huius meminit etiam Cic. in 1. Tuscul. Quæst. Hanc Mineruam ὑγιέιαν Plut. in Pericle cognominat. Celebrantur à Plinio & Pausania etiã aliæ Mineruæ, quas Phidias fecit: præ cæteris verò quæ in Parthenone templo posita fuit. Thucydides lib. 2. scribit aurum excoctum, quo Dea fuit circũdata, quadraginta pondo talentorum habuisse, & bis centena millia, & 608. millia, & 800. coronatorum.

INNOMINATVS. Paradoxa.) Sunt sententiæ quæ dicuntur de Philosophia contra vulgi opinionem, vt si quis Curium aut Fabritiũ (pauperes & qui diuitias spreuerunt) dicat fuisse ditißimos. Origo Paradoxorum Stoicorum inde fluxit, quòd bona omnia in virtute ponebant, cũ vulgus ponat etiam in corpore & fortuna. Hoc opus Bruto dedicauit, Romanorum præstantiß. De quo Cæsar dixit, Brutum post ipsum dignum imperio, & tãdem Cæsarem interfecit. Animaduerti Brute.) Arripuit initio personæ fauorabilis exemplum, vt Brutum magis alliceret, ac sibi scribenda esse paradoxa doceret. Quod eò magis) Amplificat in Catone difficultatem tractandi Paradoxa ex collatione Stoicæ sectæ cum Academica & Peripatetica. Cicero enim lib. 3. de Orat. ait ad eloquentiam conducere duas sectas, Peripateticam & Academicam: duas non conducere, Stoicam & Epicuream. Cato autem) Dictionem Stoicorum comparat cum vbertate Academicorum ad augendam difficultatem. Solent autem Stoici magna ex parte vti Sorite, id est aceruato syllogismo, in quo vt ait Cic. quia Academica lubricà est, & periculosa interrogatio, solẽt mira breuitate hæc argumenta perstringere. Itaque à Cic. lib. de Finib. consectaria appellantur. Hi, vt ait Cic. in Bruto, multa tradiderunt de philosophia, sed aridi & inertes luxuriantem orationem aspernati sunt, dialecticen tanti facientes, vt eam sapientiæ nomine dignarentur Conciso sermone vtebantur, ex assumptione maximè & conclusione constante. vt si virtus prodest, vitia nocent. Si dies est, lux est. In vulgus) notanda locutio, quam multi nouè dictã putãt. Sed alibi Cic. sic loquitur. Vt in vulgus insipientiũ opinio valeat honestatis. Itẽ in Bruto, Quare tibicen dixerit discipulo frigenti ad populum. Sed nihil.) Assumit antitheticam sententiam de virtute eloquentiæ, ex cuius vi colligit sibi procliuius paradoxa tractare quàm Catoni. Quod cùm ita.) Alia est comparatio, ac paradoxa quæ tractaturus est commendat à difficultate, cùm ea Cato vsurparet, quæ non vsqueadeo abhorrerent ab opinione vulgi. Locus est etiam attentionis. Erudita.) Erudita oratio est Philosophica, quæ de rebus est grauibus, ac sæpenumero populo non probabilibus. Popularis verò oratio est oratoria, ac de rebus quæ sunt populo credibiles. Genus exercitationum.) Istud testatur Tranquillus, Ciceronem declamationes magis exercuisse in thesibus, quàm in causis fictis, vt etiam declarat hic locus θετικά.) Multi existimabant theses ad oratorẽ non pertinere, sed esse Philosophorum. Itaque ait Fabius à quibusdam appellari Quæstiones Philosopho conuenientes. Minerua illa Phidiæ.) Hanc Phidias Athenis fecit ex ebore, quæ statua posita fuit in Acropoli: ad quam rem alludit Cicero, per imaginem.

ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν. Quod honestum sit, id solum bonum esse. PARAD. I.

LATOM.
Incipit ab occupatione ad rei adseueratione͂, et mox trãsfert thema ad hypothesin, quò fiat popularis magis & euidens oratio: ostendit autem pecunias in bonis numerandas nõ esse, quòd pecuniosi plura desiderẽt, quod est argumẽtum ab adiũctis pecuniarũ et veri boni differentia. Etenĩ repugnãt inter se cupidũ vllius rei, & beatum esse. Reprehendit nominis appellatione͂, quod pecuniæ nõ rectè bona vocẽtur. Probat ex repugnantibus. Cõclusio per occupationem, cui exẽplum Biantis subiungit. Epiphonema, quo extollit Biantis sentẽtiam & concludit. Occupatio, qua colligit veri boni definitionem, & exemplis firmat, quæ habẽt vim ex cõiuga-

VEreor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio. Dicam tamen quod sentio, & dicam breuius, quàm res tanta dici posit. Nunquam mehercule, ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas quibus maximè adstricti sunt, voluptates, in bonis rebus, aut expetendis esse duxi. Quippe cùm viderem homines rebus his circunfluẽtes, ea tamen desiderare maximè, quibus abundarent. Neque enim vnquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solùm quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentisimorum hominum maiorum nostrorum sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla, & commutabilia pecuniæ membra solo verbo bona putauerunt appellanda, cùm re ac factis longè aliter iudicassent. Potéstne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, vt etiam improbi habeant, & obsint probis. Quãlibet irrideat siquis vult, plus apud me tamen vera ratio valebit, quàm vulgi opinio. Neque ego vnquam bona perdidisse dicam, si quis pecus, aut supellectilem amiserit. Nec non sæpe laudabo sapientem illum Biantem (vt opinor) qui enumeratur inter septem: cuius cùm patriam Prienen cepisset hostis, cæteríque ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: cùm esset admonitus à quodam, vt idem ipse faceret: Ego verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille hęc ludibria fortunę, ne sua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quæret aliquis, bonum? Si quid rectè fit, & honestè, & cum virtute, id bene fieri, verè dicitur: quod rectum & honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum. Sed hæc videri possunt obscuriora, cùm sine appositione exemplorum

lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt summorum virorum hęc, quæ verbis subtilius, quàm satis est disputari videntur. Quæro enim à vobis, num vllam cogitationem habuisse videantur hi, qui hanc Rempublicam tam præclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti ad auaritiã, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delitias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos vnumquenque Regum. Vultis à Romulo? vultis post liberam ciuitatem ab his ipsis qui liberauerunt eam? Quibus tandem Romulus gradibus ascendit in cœlum? Iísne, quæ isti bona appellant? an rebus gestis atque virtutibus? Quid? à Numa Pompilio? minúsne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas fuisse, quàm delicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos. Sunt enim omnes pares inter se, præter Tarquinium Superbum. Brutum verò si quis roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos eiusdem consilij socios, quid spectauerint, quid secuti sint: num quis existat, cui voluptas, cui diuitię, cui denique præter officium fortis & magni viri quicquam aliud propositum fuisse videatur? Quæ res ad necem Porsenæ Q. Mutiũ impulit sine vlla spe salutis suæ? Quæ vis Coclitem contra omnes hostiũ copias tenuit in ponte solum? Quæ patrem Decium, quę filium deuouit, ac immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabritij? Quid tenuitas victus M. Curij sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici C. & P. Scipiones, qui Carthaginensium aduentum corporibus suis intercludendum putauerũt? Quid Aphricanus maior, quid minor? quid inter horum ætates interiectus Cato? Quid innumerabiles alij? nam domesticis exemplis abundamus, an cogitasse quicquam in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse & præclarum videretur? Veniant isti igitur irrisores huius orationis ac sententię, & iam vel ipsi iudicent, vtrum se horum alicuius, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cęlato auro & argento, qui Corinthiis operibus abundant: an

torum naturæ. Nã falsum bonum hactenus confutauit.

Vult rem exemplis docendã esse, nimirũ in populari oratione.

Pulchra distributio.

Profert varia exempla.

Enumeratio vehemens & copiosa.

Conclusio acris per concessionẽ. Disputant de pecunijs, idẽ sentit de voluptate, & Epicureos inuadit, quos reprehẽdit à dignitate humanæ naturæ. qui locus est à persona siue subiecto, & probat voluptatem bonum non esse, ex repugnantibus.

C. Fabritij, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, se similes esse malint? Atque hæc quidem, quæ modò hûc, modò illûc transferuntur, facilè adduci solent, vt in rebus bonis esse negent. Illud arctè tenent, accurateque defendunt, Voluptatem esse summum bonum. Quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu cùm tibi, siue deus, siue mater (vt ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstãtius, neq; diuinius, sic te ipse abiicies atq; prosternes, vt nihil inter te atque inter quadrupedẽ aliquã putes interesse? Quicquámne bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Vt enim quisque est maximè boni particeps, ita & laudabilis maximé. Neque est vllũ bonum, de quo non is, qui id habeat, honestè possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? meliorémne efficit aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando, se ea prædicatione effert? Atqui si voluptas (quæ plurimorum patrociniis defenditur) in rebus bonis habenda non est, eáque quò est maior, eò magis mentem è sua sede & statu dimouet: profectò nihil est aliud bene & beatè viuere, nisi honestè & rectè viuere.

Assumptio argumẽtationis.

Conclusio.

Honestum solũ id quod bonũ.

SYLVIVS. Quod solum honestum, bonum.) Hoc paradoxon Stoicorum est. Quanuis enim Academici & Peripatetici tria bonorum genera esse dicant, bona fortunæ, corporis, & animi, & summum bonum in bonis animi esse dicant: Stoici tamen fortunæ & corporis bona esse negant nec vllum bonum esse dicunt, præter bonum animi. i. honestum ad virtutem. Idq́ue solum bonum esse dicunt, vt vitium solum malum. Beatum esse dicunt eum qui virtutem habeat, quãuis careat omnibus bonis fortunæ & corporis (quæ commoda ipsi non bona appellant) quanuis sit in tauro Phalaridis. Non ex meo sensu) id est, non ex animi mei sententia. Deprompta hæc.) In antiquo codice inuenio scriptum disputata, non deprompta. Pecunias istorum.) Nomine pecuniarum diuitiæ intelliguntur, quæ sunt in pecoribus, prædijs, alijsque rebus eiusdem generis: quo modo à Iurisperitis accipi eo loco docuimus. Imperia) id est, magistratus. Quibus maximè astricti sunt) id est, quas sequuntur, tanquam si ijs alligati essent. In bonis rebus esse numerandas duxi.) In antiquo codice scriptum est, in bonis rebus aut expetendis esse duxi. His rebus circunfluentes.) In eodem codice antiquo æquè bene scriptum est, quibus rebus circunfluentibus i. affluentibus vndique. Nec satiatur cupiditatis sitis.) Diuitiarum, imperiorum, voluptatum cupiditas, quantò maior copia est, tantò magis crescit: tantum abest, vt minuatur. Quemadmodum hac ætate profundam sacerdotiorum cupiditatem multitudine augeri videmus. Voluptatum sitis abundantia quantum crescat, Xerxes Persarum rex ostendit, qui opum regiarum ostentatione eximia eò vsque luxuria gauisus est, vt edicto præmium proponeret, qui nouum ali-

Pecuniæ quæ sint.

quod genus voluptatis reperiſſet, vt ait Valer. Max. lib. 9. de luxuria. Cupiditatis ſitis.) Vnde facta trãſlatio ſit, ignotum non eſt. Bona autem potio non eſt, quæ ſitim nõ ſatiat, ſed quæ tantò magis augeat ſitim, quantò ſumatur frequentius. Legati Scytharum dictum illud inſcitum non eſt, Quantò plus biberint, tantò magis ſitire Parthos. Ab efficientibus argumentum eſt. Neque ea ſolũ quæ habent.) In codicibus alÿs ſcriptum eſt, neque ea ſolũ qui habent. Libidine) id eſt, cupiditate. Continentiſſimorum) .i. opes, imperia, voluptates contemnentium. Requiro prudentiam.) Prudentes enim mihi, inquit, viſi nõ ſunt, quòd bona appellarint ea quæ re ipſa bona eſſe nõ crederent. Romani enim veteres paupertatis ſtudioſi erant, imperia inuiti accipiebant, voluptates aſpernabantur, quo tempore Aſiaticæ delitiæ Romam nondum allatæ fuerant. Cõmutabilia) .i. incerta & fortuita, quæ in manu fortunæ ſunt, & facilè vt fortuna ipſa mutari poſſunt. Pecuniæ membra.) Nã, vt dixi, pecuniæ nomine intelliguntur pecora, prædia, aliáque eiuſdem generis, quæ poſſidentur, quorum multa ſunt quaſi membra. Bona putauerunt appellanda.) Nam bona etiã appellauerunt. Potéſtne bonum cuiquã malo eſſe.) In codice antiquo aliter ſcriptum inuenio, ſed eadem ſententia. Ita enim ſcriptum eſt, Potéſtne cuiquam bonum niſi bono ineſſe? Ab efficientibus autem arguit hæc bona non eſſe. His autem rebus multi fiunt deteriores. Authore Quintil. lib. 3. Diuitiæ, potentia, & gratia quum plurimũ virium dent in vtranque partem, certiſſimum faciunt morum experimentum. aut enim meliores propter hæc aut peiores ſumus. Etiam improbi habeant) i. nõ ſolùm boni, ſed etiã improbi pecunias & imperia habeant. Scribit Ariſtot. lib problematum 29. vſu venire, vt improbi ſint diuites, propterea ꝙ fortuna cæca ſit. itaque vt aĩt Pacuuius, Nihil cernat quò ſeſe applicet. Idem ſcribit eodem libro paupertatem apud bonos, non apud improbos habitare. Nam, vt ait author Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. Omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quàm officio paupertatẽ tueri. Et obſint bonis.) Quãtum diuites & honorati bonis ÿs qui pauperes obſint, licet vnicuique conſiderare. Non ignoramus quantum odioſi ſint Põtificibus ÿ qui in ſcholis diu verſati iuuentutem erudierunt, eámque meliorem réſque publicæ vtiliorem reddiderunt. Eos enim coquis ſuis & mulionibus in conferẽdis ſacerdotÿs, quorum diſpenſatores ſunt, longè poſtponunt. Si quis pecus.) Pecus & pecudẽ ita diſtinguunt grammatici, vt hoc ſpeciale nomen ſit, illud generale, quanuis perpetuum nõ ſit, & pecus pro vno animali ſæpe dicãt Latini. Pecoris autẽ, aut pecudis nomine nõ quadrupedes modò, ſed etiam piſces & apes No. Marcellus ſcribit. Vt opinor.) Neſcit certò Cicero an fuerit Bias, qui id reſponderit. Diogenes Laertius lib. 1 ſcribit Prienen Thebanorũ coloniam, quum à rege Halgate obſideretur, Biantis conſilio liberatam fuiſſe. Sed hanc Ciceronis ſententiam Valer. Max. ſecutus eſt lib. 7. de ſapienter dictis aut factis. Aſportarent) ne ſibi perirent, deportarent. Aſportare autem dicitur pro eo quod eſt, alium in locũ longè cauſſa vtilitatis ſuæ aut voluptatis deportare, etiam cũ iniuria eorum vnde res aſportatur. Vt actione in Verrem 6. Adſunt Segeſtani clientes tui, ſocÿ pop. Ro. atque amici, certiorem te faciunt, P. Africanum Carthagine deleta ſimulacrum Dianæ maioribus ſuis reſtituiſſe, ídque apud Segeſtanos eius Imperatoris nomine poſitum ac dedicatum fuiſſe. Hoc Verrem demoliendum & aſportandum, noménque omnino P. Scipionis delendum tollendúmque curaſſe. Itémque, Qua ditem patrem ferunt repente cum curru extitiſſe, abreptámque ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe. Aſconius Pædianus enarrans illud Ciceronis ex diuinatione, Illud quidem, vt eſt hominum genus minus acutum & ſuſpitioſum, non te ex Sicilia literas in Verrem deportare velle arbitrantur ſed cùm iiſdem literis illius Præturа & tua Quæſtura conſignata ſit, aſportare te velle ex Sicilia literas ſuſpicantur. Hoc in-

Requiro prudẽtiam.

Bona fortunæ.

Improbi ſunt diuites.

Pauperes boni.

Pauperes diuitibus odioſi.

Pecus quid ſit.

Priene.

Aſportare.

quam enarrans Pædianus, asportare aliquid, inquit, est vt intereat: deportare, vt mutet locum. Omnia mea mecum porto.) Pectore quidem, vt ait Valerius, illa gestabat, non humeris, non oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa nec hominum nec deorũ manibus labefactari queunt: & vt manẽtibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt. Ludibria fortunæ) quibus fortuna solet ludere eos qui habeant, quũ eripit. Sine appositione exemplorum) id est, quum exempla non apponuntur ad probãdum. Exemplum Græci appellant παράδειγμα, quo nomine & generaliter vsi sunt in omni similium appositione, & specialiter in ijs, quæ rerum gestarum authoritate nituntur, vt ait Quintilianus lib. 5. Eodem authore lib. 3. Exempla plurimum in consilijs possunt, quia facillimè ad consentiendum homines ducuntur experimentis. Sunt autem exempla velut experimenta, & velut quædam futurarum rerum imagines. Lentiùs) id est, craßiùs, & minus, vt ita dicã, efficaciter, quòd minus persuadeant. Vita atque factis.) In codice antiquo melius scriptum est, Vita igitur atque factis. Subtilius quàm satis est) .i. nimium subtiliter. Quàm satis est, legitur meliùs, quàm, vt in nõnullis codicibus scriptum est, quàm factis. Quibus tandem Romulus, &c. Romulum vt deum coluerunt Romani veteres. de eo illud Ennij est, Romulus in cœlo cum dijs genitalibus æuũ Degit. Aeuum enim propriè æternitatis est, quæ non nisi in deos venit, vt ait Seruius lib. Commentariorum 6. Qua ratione à Iulio Proculo persuasi fuerũt: Plutarchus scribit fusiùs in vita Romuli. Iísne, quæ isti bona appellãt?) Id est, magnáne vi auri & argenti, supellectile, amœnitatibus, epulis? Numa Pompilius.) Qui religionem Romæ instituisse dicitur. Capedines.) Capedo fictile vas erat, quo in sacrificijs vtebantur, à capiendo dictum, quòd amplum & capax esset. Vrnulis quoque fictilibus in sacrificijs ex Numæ Pompilij instituto vtebãtur. Authore Plinio cap. 12. lib. 35. Numa Rex septimum collegium figulorum instituit, quo in loco plasticen .i. figulinam artẽ laudat maximé. Ea enim deorum simulacra, alia vasa ad sacrificandum, alia ad vsum hominum, alia ad mortuorum sepulturam fingi ostendit. Delicatas) id est, aureas, argenteas, murinas, aut crystallinas. Delicatas templorum pateras insectans Persius, inquit, Dicite pontifices, in templis quid facit aurum? Patera quid sit M. Varro explicat his verbis libro de lingua Latina primo: In poculis, inquit, erant pateræ, eò quòd pateant Latinè ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinẽdæ caussa, quum magistri fiũt, potio circunfertur: & in sacrificãdo dijs hoc poculo magistratus dat deo vinũ. hæc ille. Sext. Pompeius itidẽ significat Romanos vti patera in sacrificijs solitos. Pateram, inquit, perpluere in sacris cũ dicitur, significat perpluere, aut pertusam esse. Quid egerit?) id est, quid sperarit, quid se assecuturum animo proposuerit. De hoc Bruti facto Liuius, & Dionysius Halicarnasseus satis multa scripserunt. Q. Mutium.) De Q. Mutio, de Horatio Coclite, quanta virtutis exempla ediderint, ignotum non est, itaque consultò prætereo: si quis tamen amplius volet legere, apud T. Liuium lib. 2. inueniat: quemadmodum de P. Decio in bello Latino, déque eius filio in bello Samnitico se deuouentibus, idem lib. 8. & 10. scripsit. In ponte) Sublicio. Continentia C. Fabritij.) Samnitum legati quum ad C. Fabritium grandem pecuniam dono afferrent, orarẽntque vti acciperet: tum Fabritius planas manus ab auribus ad oculos, & infrà deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porrò ad ventrem imum deduxit: Legatísque ita respondit, Dum illis omnibus membris quæ attigi, obsistere atque imperare potero, mihi nunquam quicquam deerit. Propterea pecuniam, qua nihil mihi opus est, ab ijs non accipiam, quibus eam vsui esse scio. Hæc A. Gellius cap. 14. lib. 1 ex Iulij Higinij sententia. Valerius Maximus lib. 4. de abstinentia & continentia idem exemplum posuit, adiecítque Fabritium locupletem non multa poßidendo, sed pauca desyderando fa-

Ludibria fortunæ.

Exempla quantum valeant.

Romulus deus.

Aeuũ quid sit.

Capedo quid sit

Figulorum collegium.

Patera quid sit.

Fabritij continentia.

ctum esse. Continentia autem, vt sit auaritiæ contraria, ex hoc loco satis cognosci potest, vt sit continens is, qui rebus suis contentus aliena non cupiat. Quid tenuitas victus M. Curij.) Hoc exemplum eodẽ in loco Valerius Maximus scripsit, Plutarcho in vita Catonis authore, quum Curium ad focum sedentem, & rapas coquentem Legati Samnitum offendissent, magnum auri pondus obtulerunt. Eo repudiato Curius negauit auro opus esse ijs, quibus cœna tam tenuis satis esset. Sequebatur.) id est, sibi proponebat, & sperabat. Duo propugnacula.) Duo fulmina belli Cicero appellat pro L. Cornelio Balbo, Quum duo fulmina nostri imperij subitò in Hispania Cn. & P. Scipiones extincti occidissent. Duo fulmina belli Scipiadas Virgilius appellat lib. Æneidos 6. De Cn. & P. Scipionũ fratrum cæde in Hispania anno secundi belli Punici 8. T. Liuius lib. 25. scribit ampliter. Aduentum.) per Hispaniam in Italiam. Valla lib. 5. scribẽs intercludere esse iter impedire, & quasi iter claudere: locum hunc aliter citat, ad hunc modum: Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum suorum intercludendum putauerunt. Quid Africanus maior, quid minor?) Africanus maior fuit filius P. Scipionis eius qui in Hispania occiditur. Minor filius Pauli Aemylij adoptatus est ab Africani maioris filio. Inter horum ætates interiectus Cato.) M. Cato quinque annis minor erat Africano maiore, vt scripsimus in Catonem maiorem Ciceronis. Is mortuus est primo anno tertij belli Punici, quod Scipio minor confecit.

Continentia.

Scipiones duo fulmina belli.

Cato maior quã ætate.

Vel ipsi iudicent.) id est, ipsimet sint iudices. Horum alicuius.) Similes esse malint.

Corinthijs operibus.) vt vasis, sed præcipuè signis, quibus plerique ita capiuntur, vt secum circunferant, vt author est Plinius capit. octauo, libri 34. Idem de ære Corinthio scripsit capite secundo eiusdem libri. Se similes esse malint) Quid hi iudicare debeant, Alexander magnus admoneat, qui à Diogene discedens amicis dixisse fertur, Ego profectò nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. Ipse quoque Diogenes quantum diuitias cõtempserit, tum ostendit, quum Alexandro optionem danti petenti quicquid vellet, respondit, Vt sibi parũper à sole discederet. apricanti enim Diogeni Alexander officiebat. Atque hæc quidem) bona, quæ fortunæ ludibria appellauit. Facilè adduci solent) nonnulli, id est sunt nonnulli qui facilè credunt, hæc bona non esse: sed voluptatem bonum esse summum dicunt, quorum sententiam hoc etiam in loco Cicero refutat. Abiicies) id est, abiectum facies. Vt nihil inter te & quadrupedem) Scribit Aristoteles in Ethicis duos sensus nobis communes cum beluis esse, gustum & tactum. Voluptates igitur, quæ his duobus sensibus percipiũtur, vt nihil inter hominem & beluam intersit, efficiunt. Nihil aliquid) vt sæpius dicitur, nihil quicquam. Quicquam ne bonum.) Ab efficientibus arguit voluptatem bonum nõ esse, quòd hominẽ non faciat meliorem, sed deteriorem. Vt enim quisque, &c.) Id consequens est. Plurimorum) Epicureorum. De voluptate quòd bonũ non sit, Cicero in libro de Officijs tertio, in lib. de Senectute, & fusiùs in libris de Finibus bonorum & malorum disputat.

Corinthia opera.

BARTH. LATOMVS. Mirari rudis lector posset, quúrnam Cicero in hoc opusculo singulis capitibus Græcos præfigat titulos, tãtus nimirũ linguæ Romanæ vindex. Respondeo, non capitũ hîc esse inscriptiones, seu titulos, sed declamationũ themata, ex sacrosanctis Stoicorũ adytis deprõpta. Huius autem hæreseos, (vt cæterarum quoque) conditores Græci potißimũ fuerunt, quorum dogmata, Paradoxa præsertim, veluti leges tabulis æneis insculptæ, solennia, & verbis conceptis scripta, certitudine quadam firmata, ad posteros transmitterentur. Certiora verò sunt, quibus intelligendis interpretum opera non indigemus: qui vt sæpe mirabiliter variant, ita plurimas in disputando amphibologias & logomachias pariunt: sicut in hoc ipso τοῦ καλοῦ vocabulo, quod tam ex Platone quàm alijs,

plerique pulchrum interpretantur, Cicero noster, & hi quibus Ciceroniana lectio familiarior est, semper honestum: apud quos pulchri vox, hac saltem significatione haud facilè inuenitur. τὸ δὲ καλὸν, ἀπὸ τοῦ καλεῖν Proclo deducitur, eò quòd sua pulchritudine hominũ contuentium mentes permulcet, atque in sui admirationem excitat, & ad sui amorem inuitat. Quamobrem, opinor, hoc Stoicis etiam ἐπικόσμιον appellatur, quòd hominem veris ornamentis exornat solũ. Cicero in Rhetoricis honestum nominat, quod aut totum, aut ex parte propter se expetitur. Stoicis verò τὸ καλὸν λέγεται μοναχῶς μὲν, τὸ ἐπαινετοὺς παρεχόμενον τοὺς ἔχοντας ἀγαθὸν ἐπαίνου ἄξιον. Huius formæ sunt quatuor illi fontes, vnde Cicero noster omnia officiornm genera deducit, prudentia nimirum, iustitia, fortitudo, & temperantia: quas Stoici his nominibus recensent, numero nonnihil immutato, δίκαιον, ἀνδρεῖον, κόσμιον, ἐπιστημονικόν. Quibus opponunt contraria, τό τε ἄδικον, καὶ τὸ δειλὸν, καὶ ἀκοσμον, καὶ ἄφρον. Cicero noster alibi hoc paradoxon ad Zenonem autorem refert, Laertius ad Hecatonem & Chrysippum. Adscribam Laertij verba, negotium fusiùs declarantia: λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι, καθά φησιν Ἑκάτων ἐν τῷ τρίτῳ περὶ ἀγαθῶν, καὶ Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ τοῦ καλοῦ. εἶναι δὲ ταύτην ἀρετὴν, καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς, ᾧ ἐστιν ἴσον, τὸ πᾶν ἀγαθὸν, καλὸν εἶναι. καὶ τὸ ἰσοδυναμοῦν τῷ καλῷ, τὸ ἀγαθὸν, ὅπερ ἴσον ἐστὶ τούτῳ. ἐπεὶ γάρ ἐστιν ἀγαθὸν, καλόν ἐστι. ἔστι δὲ καλὸν, ἀγαθὸν ἄρα ἐστί. Vereor ne cui vestrûm ex Stoicorum hominũ disputationibus, &c.) Superiùs ex Cic. & Fabio didicimus, Admirabiliũ exordia remedijs opus habere, atque ob id diuisum esse, in principium & insinuationem. Vtitur igitur insinuatione. Suspicionem itaque vitaturus, per cuniculos in causam surrepit. Inuitat auditoris beneuolentiam autoritate sua, & breuitatis pollicitatione. Nunquã mehercle ego neque pecunias istorum, &c.) Non proponit suam sententiam, sed eleuat aduersariorum res fortuitas, præter meritum bona nominantium. Ista.) Cum contemptu. ἔστι δὲ ἡ τῶν φησάντων διαβολὴ, ἅμα δὲ ἡ καὶ τοῦ πράγματος ἔκθεσις. Interea siquidem, dum Peripateticis & Epicureis litem intendit, suspectam eorum causam reddere satagit. Commodissima istam ad rem occasio est auaritia. Perstringit autem tacitè Crassum, in cuius sordes inferiùs inuehitur, nomine minimè dissimulato. Expetendis.(In rebus expetendis ducere, est, ἐν αἱρετοῖς ὑπολαβεῖν. Res expetendæ diuiduntur à Rhetoribus in honestũ, Stoicis solum per se expetendũ: & vtile, id est, corporis & fortunæ bona, propter aliud. Sed Peripatetici etiam corporis bona propter se expetenda censent, vt est in 5. de Finibus libro.

Et ea tamen desiderare maximè.) Id quod nobis Tantali fabula adumbrat. & ob hoc Auaritia confertur hydropisi. Horatius:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Ex Diogenis opinor hoc natum est doctrina. οὗτος γὰρ τοὺς φιλαργύρους τοῖς ὑδρωπικοῖς ὡμοίωσε. ἐκείνους μὲν γὰρ πλήρεις ὄντας, ἀργυρίου ἐπιθυμεῖν πλείονος, τούτους δὲ ὕδατος. ἀμφοτέρους δὲ πρὸς κακοῦ. Libidine.) Etiam hoc παράδοξον quodammodo est: libidinem siquidem simul & vnà in eodem esse subiecto. fit tamen hoc diuersis respectibus, quemadmodum dicimus aliquem inter metum spémque consistere. Pecuniæ membra.) Formas numismatum, vel potiùs rerum corporalium possessiones. Pecuniæ siquidem vocabulum apud Iureconsultos latius patet, vt quod à pecore bonis autoribus deducitur. Hîc regnat ἡ ταπείνωσις. Solo verbo bona.) Bonorum nomen pro facultatibus ita vsitatum est, vt in Iure Ciuili vix quicquam inuenias tritius, id comprobant tituli de bonorum possessione: &

usqueadeò tu quoque Cicero, cùm alibi sæpe, tum verò maximè, quando personam Iureconsulti sustines. Vnde illud quæso in Topicis exemplum: Mulier, cui vir bonorum possessionem legauit, &c. Vsurpant hoc nomen sacræ quoque literæ. Sic enim Diues apud Lucam dicit: ψυχή, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα εἰς ἔτη πολλά. *nisi pro decoro personæ hoc dictum putaueris. Est tamen rursus apud eundem:* μνήσθητι, ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου. *Sed quid misceo sacra prophanis? Alcinous testatur, ipsum Platonem, hæc bona nominasse, sed Bona mortalia. Inualuit itaque in rebus mortalibus Peripateticorum loquendi ratio, ex vulgi nimirum errore: quem postquam semel obtinuit, philosophi deinceps emendare nequicquam fuerũt conati, tot videlicet opinionibus inter se dissentientes, nec sibi ipsis per omnia constantes. Suggillat autem personatus Stoicus Peripateticorum diuisionem, qui bona in tria genera diuidunt, vt alia bona sint animi, alia corporis, alia fortunæ: quæ diuisio apud Peripateticorum principem extat libro Ethicorum primo.*

ἀγαθὰ τριχῆ νενεμημένα, λεγόμενα δὲ τὰ
- ἐκτὸς, οἷον οἱ φίλοι, καὶ ἡ τῆς πατρίδος εὐδαιμονία, καὶ ὁ πλοῦτος.
- περὶ
  - ψυχήν, τὰ κυριώτατα, καὶ μάλιστα ἀγαθά. οἷον ἡ μὲν δικαιοσύνη, καὶ ἡ φρόνησις, καὶ ἡ ἀνδρεία, καὶ ἡ σωφροσύνη, καὶ τὰ τοιαῦτα.
  - σῶμα, οἷον τόδε κάλλος, καὶ ἡ εὐεξία, καὶ ἡ ὑγίεια, καὶ ἡ ἰσχύς.

Et Aristoteles quidem hãc diæresin ad Platonem autorem, si Laertio credimus, refert. Alia bonorum diuisio est apud Stoicos. Appingam & ipsam ex melioris notæ autoribus, Cicerone nimirum, A. Gellio, & Diog. Laertio: missam intereà faciens eam quæ à Stoicis ex diametro Peripateticis opponitur, qua diuidunt τὰ ἀγαθὰ εἰς τὰ κατὰ ψυχὴν, καὶ εἰς τὰ ἐκτὸς, καὶ εἰς τὰ οὐδὲ περὶ ψυχὴν οὐδὲ ἐκτός: *sed generaliorem, qua res vniuersæ in bona, mala, & indifferentia diuiduntur.*

- τῶν ὄντων
  - τὰ μὲν ἀγαθὰ αἱ ἀρεταὶ,
    - φρόνησις.
    - δικαιοσύνη.
    - ἀνδρεία.
    - σωφροσύνη.
  - τὰ δὲ ἀδιάφορα, in medijs relicta οὐδέτερα, ὅσα μήτε ὠφελεῖ μήτε βλάπτει. τούτων
    - τὰ μὲν ἔχοντα ἀξίαν, προηγμένα, ἢ προηγούμενα. Latinis Productiones, producta, promota, præposita, præcipua, ſumenda, eligenda. cuius generis ſunt — hæc:
      - πλοῦτος
      - ὑγιεία
    - τὰ δ᾽ ἀναξίαν ἔχοντα, ἀπροηγμένα, ἢ ἀποπροηγούμενα. Latinis Relationes, reducta, remota, reiecta. huius generis ſunt — quæ:
      - ἡδονὴ
      - πενία
      - νόσος
      - λύπη.
  - καὶ τὰ κακὰ, τὰ τῶν ἀρετῶν ἐναντία,
    - ἀφροσύνη,
    - ἀδικία,
    - δειλία,
    - ἀκρασία.

Hanc curioſam nominũ excogitationẽ ac litem Carneades, honorarius (vt eum Cicero nominat) arbiter, componere inter Peripateticos & Stoicos conatus, nominibus quàm re magis inter ipſos diſcordiam eſſe dixit: quam contentionem in hoc paradoxo noſter Tullius inſtaurat. Potéſtne bonum.) A contrarijs. In abũdantia bonorum.) A coniugatis, per traductionem. Et obſint.) A differentibus, argumentatio ex media Stoicorum diſciplina deprompta. Quanquam interim hæc ratio, quam vt veram tantopere prædicat, parum ſibi conſtat. Nam ſi pecuniæ ἀδιάφορα ſunt, & perinde (vt Terentianis vtar verbis) vt illius animus qui ea poßidet: animo probi vtique erunt εὐχρηστήματα quæ ipſe Commoda interpretatur. Nam δυσχρηστήματα in viro ſapiente locũ non habent, & multò magis βλάμματα ſunt: ſed manent ſemper rectè vtentibus ὠφελήματα. Nec non ſæpe.) Probat exemplo Biantis, opes in bonis habendas non eſſe: ſed eo tamen nequicquam probat, eas nocere probis. Sapientem illum Biantem.) Apud Plutarchum, Laertium, Stobæum, varia leguntur Biantis Apophthegmata, & reſponſa: ſed hoc apud ſolum Valerium Maximum inuenio: cuius verba, quia negotio huic plurimum lucis adferunt, non grauabor adſcribere. Bias, cùm patriam eius Prienen hoſtes inuaſiſſent, omnibus, quos modò ſæuitia belli incolumes abire paſſa fuerat, precioſarum rerum pondere onuſtis fugientibus interrogatus, Quid ita nihil ex bonis ſuis ſecum ferret? Ego, inquit, verò bona mea mecum porto. Pectore enim illa geſtabat, non humeris: non oculis viſenda, ſed æſtimanda animo: quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus præſtò ſunt, ita fugientes non deſerunt. Cæterùm quod ad hiſtoriam adtinet, conſtat ex Laertio, Prienen, πρίηνην, Ioniæ vrbem, Thebarũ coloniam fuiſſe. conſtat ex Strabone, hãc ab Ae-

gypto Nelei filio conditam esse, & postea à Philota Thebano coloniam eò ductam, atque ab eo etiam Cadmen fuisse dictam. Constat ex eodem, hanc, cùm prius maritima fuerit, alluuione limi, continenti iunctam esse, ad stadia CCL. Constat ex eodem, quòd Prienenses ab Helice originem traxerint. Constat ex Herodoto, Ardyn Gygis V. Lydorum regis filium, πριηνέας (sic enim nominat) expugnasse. Fuit is Tulli Hostilij synchronos, Olympiade 29. Constat rursus ex Laertio, eandem ab Aliatte Ardys filio VIII. Lydorum rege bellis, cùm hic Bias floreret, esse afflictam, quæ facta sunt Tarquiniorum temporibus. Constat ex Thucydide, eam bello Euboico etiam esse afflictam. Ludibria fortunæ.) Sic Budæus de Contemptu rerum fortuitarum, opes fortunæ ludificationes nominat, eleganti sanè prosopopœia. Quid est igitur.) Expositio boni, à coniugatis. Sunt qui putant, Bonum & honestum ἀντιστρέφοντα omnino esse. Seneca tamen Epist. 118. hoc differre dicit, quòd honestũ per se bonum sit, bonum verò ex honesto fluere. & quod bonum est, malum esse potuisse: quod verò honestum est, nisi bonum esse non potuisse. & probat exemplis: Res adiaphoras, si rectè & honestè fiant, bonas esse. quibus verbis hunc locum pulchrè explicat, quid sit rectè & honestè fieri. Quod rectum, honestum, & cum virtute est.) Quid hæc inter se differant, tum fortaßis clarius fiet, si in conspectum ea proferemus, quæ Rhetores de Rebus expetendis in genere deliberatiuo tradiderunt. Author Rhetorices ad Herennium, Honestum diuidit in Rectum & Laudabile. Rectum definit id esse, quod cum virtute & officio fit: & hoc diuidit in quatuor fontes officiorum. Cæterùm, quando hic Laudabilis nulla fit mentio, in medio suspensum relinquemus. Rectè fit.) Inde rectè facta Stoici κατορθώματα nominant, quæ omnibus numeris sunt absoluta, & crescendi ascensionem nullam habent. Vt Cicero in 3. de Finib. docet, in Officialibus libris perfectum vocat officium. Aristoteles autem in 5. Moraliũ δικαιοπράγημα sinuosiore significatione nominat, rectè illud iustéque factũ, quàm est δικαίωμα, quod correctionem τοῦ ἀδικήματος facit. Obscuriora.) παραδείγματα γὰρ σαφεστέραν ποιεῖ τὴν τέχνην. Hermog. Vita atque factis.) Posset hîc quis Ciceronem notare compositionis. Inueniuntur enim huiusmodi reprehensores Lactantij. Deinde obseruato, hac authoritate, hócque exemplo probari posse, nomen vitæ, singularis dũtaxat numeri esse. alioqui Cicero potuisset pari ratione dicere, vitis atque factis. Verbis subtilius.) More Stoicorum. Præclare fundatam.) legibus atque institutis. Hæc enim fundamenta Reip. bene constitutæ sunt. Romulus ascendit.) Tusc. quæst. 1. huiusmodi exemplis probat immortalitatem animorum. Citatur hîc Ennij versus: Romulus in cœlo cũ dijs agit æuum. Nascitur hoc ex opinione, quæ Iulij Proculi iusiurandum sequuta fuit: nempe, quòd cùm orta subita tempestate non comparuisset, ad deos transisse creditus est. Obseruent pueri inductionem crebris interrogationibus viuam & spirantem. Assurgit enim ad declamatoriã sublimitatem, præter Stoicorum disputãdi rationem. Numa Pompilius.) Frugalitas Numæ Põpilij, qua tã domi quàm in sacris vsus fuit, celebratur etiã à Plutarcho, & Plinio: sicut Romuli publicè priuatímq; Dionysius, atq; apud Gell. Piso posteritati cõmendarunt. Non opus esse duco, historiarũ concordantias colligere, partim quia notißimæ sunt, partim quia in superioribus libris sæpe istarũ mẽtio facta sit. Cæterũ in lib. Cic. de Leg. 2. lex est, quæ opes à sacris remouere iubet. Sicut etiã Plato in 12. de Leg. luxũ simulacrorũ improbat. & miratur Persius, in sacro quid faciat aurũ. Nam olim, vt est apud Ouid. in Fastis, in Iouis dextra fictile fulmen erat. De hoc nobis dictum est apud Lactantiũ, lib. 2. cap. 4.

Capedines.) Frugale hoc vasis genus, à Numa sacris adhibitum fuisse, alius Ciceronis locus ex 3. de Nat. deorum declarat. Verba sunt: Docebo meliora me didicisse de colẽdis dijs immortalibus, iure pontificio, & more maiorum, capedunculis, quas Numa nobis reliquit,

&c. Quàm delicatas.) Apud Plutarchum Antonio aureæ pateræ pro bri loco obiiciuntur. Cæterũ Camerarius & Victorius, vetustas sequuti lectiones, Filicatas legunt. Lazarus Bayfius in Tit. de Auro & argento legato, quam tractationem de Vasculis inscripsit, Deliacas hoc loco legit, & huic lectioni astipulor: & vt eius lectionem facilius sequar, faciũt ea, quæ paulò pòst de Deliaca supellectile scribit. Eiusdem consilij socios.) Sp. Lucretium, P. Valerium Tricipitinum, Collatinum, & alios. Hæc tria priora exempla extant apud Liu. lib. 2. primæ Dec. Dionys. lib. 5. Antiquit. Plutarchum in vita Valerij Publicolæ, Valer. Max. de Bruto lib. 5. cap. de Pietate erga patriam. De Scæuola lib. 3. cap. de Patientia. De Horatio Coclite, lib. 3. cap. de Fortitudine. Decium.) De Decijs Liuius lib. 8. ab V. Cõd. Valer. Max. lib. 5. cap. 6. C Fabricij.) De hoc Plutarchus in Pyrrho, Valerius lib. 4. cap. de Paupertate, Gellius lib. 1. cap. 4. Plinius lib. 33. cap. 12. Curij.) Valerius ibidẽ, Plin. lib. 18. cap. 3. & lib. 19. cap. 5. Columella lib. 1. in præfat. & cap. 3. Plutarchus in Apophth. Duo propug.) Vergilius in 6. - Scipiades duo fulmina belli. Sillius Italicus,

- Belligeri mauortia pectora fratres.

Intelligit enim Cn. & Pub. qui postquam res egregias in Hispania gesserunt, incautiores tandem cum exercitibus interierunt, anno 8. quàm in Hispaniam iuerant. Anno ab V. C. 543. Historia scripta est apud Liuium Decade tertia, quinque prioribus libris. Quid Africanus.) Scipiones Africanos nemo ignorat. Sed hic locus requirere videtur, vt hîc Scipionum, sicut suprà Catonum genealogiam appingam. quanquam antiquiores quosdam ex rebus quidem gestis præclaros, non facilè connectere licebit. Apud Liuium lib. 9. ab Vrb. Cond. Pub. Cor. Scipio Aruina Cos. & dictator celebratur, anno 448. Item lib. 10. L. Cor. Scipio Cos. item L. Scipio proprætor ab hostibus circũuentus. Item Cn. Cor. Scipio Asina Cos. per fraudem captus. Item L. Scipio Cos. qui feliciter in Sardinia pugnauit. Item C. Cor. Scipio. Quis ex istis, eorum qui in Hispanijs interierunt, pater fuerit, non satis constat. Atqui ex hac pictura perspicuum fit, quomodo Cato Censorius in vtrunque Scipionem fuerit interiectus.

GENEALOGIA

Nam domest.) Nulla enim Respub. bonis exemplis ditior fuit. Liu.in præfat.pri.decadis. Nisi quod laudabile esset.) Cicero in Officiis: Honestum quod verè dicimus, etiamsi à nullo laudetur, laudabile est natura. Corinthiis operibus.) Æs Corinthium, Vergil. Georg.2. Ephyræa æra appellat. Nā Ephyre, inquit Seruius, Corinthus est. Hoc æs ex S.C. deleta à L.Mummio (de quo in Officiis dictū est) Corintho, factum & cōflatum est. Nam æris notā preciosiorem, ipsa opulentißimæ vrbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri, argentíque venæ in commune fluxere. Æs Corinthium, Deliacum, & Ægineticum, cùm ex multis scriptoribus, tum maximè ex Plinio nota sunt, lib.34.cap.2. Legendus omnino tibi Lazarus in libro de Vasculis est. Quæ modò huc, modò illuc.) τὰ ἀδιάφορα. Atque hæc quidem.) Respondet sibi ipsi. Non video quur nō antiqua lectio salua esse poßit, quæ legit: Atque hi quidē. Illud tamen.) Sequentia contra Epicureos maximè sunt dicta. Quæ quidem nomine vox pecudum.) De hoc nobis alicubi apud Lactantiū dictum est. Siue mater natura.) Quam tamen ceu nouercam multi insimulant, de quo etiam nobis tam apud Lactantium quàm alibi dictum est: præsertim de Opificio Dei. Quicquamne bonum.) Ab effectu. Quid autem.) Minor amplificata. Atqui si.) Complexio.

INNOMINATVS. Vereor.) Occupatio est ironica, qua ingenuè fatetur, se ista mutuatum à Stoicis. Ideo autem ab hoc paradoxo auspicatus est, quia sectā Stoicam maximè cōtinet: & ostendit in quo differat ab Academica & Peripatetica. Nunquā) Si tota argumentatio explicaretur, diuisione fuisset vtendum, vt inde sequeretur remotio: sed prætermissa diuisione remotionem adhibuit, qua ostendit commoda externa in bonis non habenda esse: interim notat Crassum, & Lucullum, Romanorum ditißimos. Neque ea solùm.) Amplificatio crescit gradu vno, estque argumentum ab adiunctis: etenim diuites timent effractores. In quo.) Reprehendit appellationem Romanam. cùm enim Latinè loquimur ac dicimus, Cui bono fuerit, pro emolumento accipitur. Igitur antiqui Romani in appellatione boni non satis prudentes fuisse videntur, cùm alioqui secundum Platonem, qui rebus nomina imponit, prudentißimus esse debeat, sed illam vituperationem alia laude compensat, & bona vsurpamus pro diuitiis. Potéstne) Integer syllogismus est, cuius maior à repugnantibus est: quæ vt sit firmior, duplicata est. Vt etiam improbi habeant, obsint bonis.) Sunt vetustißimi cod. qui hîc absint habent. Necnon) Addit comparationem ab apophthegmate Biantis petitam. Est tamen hac in re nonnulla controuersia. aiunt enim alij Prienen à Biante esse seruatam, Cicero significat captam, ex eáque Biantem migrasse: quem sequitur Valerius Maximus. Supellectilem) Supellex instrumentū est patrisfamiliâs. Ille hæc) Ad extremum addidit epiphonema per comparationem. Nam si fortunæ commoda non sunt nostra, quo pacto nobis erunt bona? Quid est.) Quoniam disputatio est de boni vocabulo, necessaria fuit finitio. quam Cicero addit, & argumentatur ab ea per coniugata. Sed hæc) Reiecta subtilitate Stoica exemplis propositam thesim confirmat, vt oratio videatur esse popularior. Quæro enim) Initio apostrophes, vt rhetorica sit oratio, nō solùm philosophica, adhibet merismum, ita vt membris distributis suos reddat fines.

Ponite ante oculos.) Adiicit exemplis inductionem, qua ostendit veteres Romanos, virtutem solam in bonis habuisse. Numa Pomp.) hic primus religionē apud Romanos instituit. Vsus est autem in sacris, vasis duntaxat fictilibus. Itaque scribit Apuleius hoc semper remansisse, vt cymbulo & catino fictili, in sacrificiis semper Romani vterentur. Delicatas aliorum pateras) In codice antiquo scribitur, filicatas: interpretatur autem Festus, Pateras in filicis similitudinē cælatas. nam vasa herbis cælabātur & exornabantur, vt est

apud Virgil. in Bucol. Quæ res.) Membratim agit vt acrius pungat. Cæterum horum omnium exemplorum finis est virtus. atque ita diuitiæ tolluntur. Quæ patrem.) Cicero 1. Tuscul. ait Decium patrem bello Latino, filium Hetrusco, nepotem in bello contra Pyrrhum se deuouisse. hìc duorum duntaxat meminit. Veniant.) Subuertit demum complexionē, quæ vt sit firmior, additam habet comparationem Fabritij continentiæ & diuitum Romanorum. Corinthijs operibus.) Æs Corinthium omnium erat preciosissimū, habebat enim aliquid auri & argēti admixtum. itaque hac de causa à nonnullis Rom. expetebatur, etiam magis quàm argentariū, atque inde Augustus est appellatus Corinthiarius. Atqui hæc quidem) Refutata opinione Peripateticorum & Academicorum traiicit ad opinionem Epicuri, quæ multos habebat assertores, lateq; regnabat. Itaque tulit duas potissimum res, quarum studio maximè tenerentur mortales, opes, & voluptates: sustulit opes, & nunc voluptates. Quicquam bonum.) Epicherema est integrum ex tribus propositionibus, adhibitis earum probationibus. Atqui si.) Paradoxū demum concludit: neque id facit dialecticè, sed oratoriè, resumendo partem argumentationis.

ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beatè viuendum.

PARAD. II.

NEc verò ego M Regulum ærumnosum, nec infelicem, nec miserum vnquam putaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, nō grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus, non denique animus ipse, qui tot virtutum præsidio, tantoque comitatu septus, cùm corpus eius caperetur, capi certè ipse non potuit. C. verò Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, aduersis vnus ex summis viris videbatur. quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis insane, nescis quantas vires virtus habeat. Nomen tantū virtutis vsurpas, quid ipsa valeat, ignoras. Nemo potest nō beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quíque in se vno sua ponit omnia. Cui autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum sibi, ne vnū quidem diem. Eum tu hominem terreto, si quem eris nactus, istiusmodi mortis aut exilij minis: mihi verò quicquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recusanti quidem euenerit, non mo

LATOM. Incipit ab exemplis, quæ vim habent ex coniugatis. M. Regulū ærumnosum nō fuisse, igitur nec virtutē ærumnosam esse: & C. Mariū in aduersis nō succubuisse, ergo nec virtutē vlli fortunæ succūbere. Nam & Regulus pro bono viro, & Marius pro forti accipiuntur, q̄ sunt coniugata virtutis. Apostrophe, qua in M. Anton. inuehitur, et mirè accendit orationem. Locus vim habet excēpli, à sua et Antonij persona, & ad acta illorū tēporū refertur. Aptus. i. iunctus ex sese, neq; ex fortuna, aut aliūde pendēs.

dò non repugnāti. Quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilarunt curæ & cogitationes meæ, si quidem nihil peperi tale, nihil cōsecutus sum, vt eo statu essem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret iniuria? Mortémne mihi minitaris, vt omnino ab hominibus: an exilium, vt ab improbis demigrandum sit? Sit mors terribilis his, quorum cum vita omnia extinguuntur: non iis, quorum laus emori non potest. Exilium autem iis, quibus quasi circunscriptus est habitandi locus, non iis qui omnem orbem terrarum vnam vrbem esse ducunt. Te miseriæ, te ærumnę premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas: tuæ libidines te torquēt: tu dies noctésque cruciaris, cui nec sat est quod est, & idipsum quod habes, ne non diuturnum sit futurum, times. Te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimat iudiciorum atque legum, quocunque aspexisti, vt furiæ, sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. Quamobrem vt improbo & stulto, & inerti nemini bene esse potest: sic bonus vir, & sapiens, & fortis miser esse non potest. Nec verò cuius virtus morésque laudandi sunt, eius non laudanda vita est: neq; porrò fugiēda vita est, quę laudāda est: esset autē fugiēda, si esset misera. Quāobrem quicquid est laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendū videri potest.

Dicit se aliquid consecutum contra fortunæ vi & inimicorum iniuriam.

Repetit minas Antonij, et contemnit acriter per diuisionem.

Quod à se depulit conuertit in Antoniū. in quo vide acrimoniā contentionis ex repetitiōe verborum, & mēbris concisis.

Cōclusio, quam exponit per contraria, et per sorite approbat, cui ⁹hic ordo est, cuius mores laudantur, eius vita laudāda est. Et cui⁹ vita laudatur, ea fugienda non est: quæ autē fugiēda nō est, ea nō est misera. Ergo cuius mores laudantur, is miser non est, cunctaq; vita eius vt beata ac felix expetenda.

ὅτι αὐταρκής.

SYLVIVS. Id est, quòd sufficiens est virtus ad felicitatem. Hi Paradoxorum tituli capita sunt eorum, de quibus in Paradoxis ipsis disputatur. Caput autem nōnunquam significat quandā orationis breuitatem multa in se complectentem. Vulgò dicitur ab alijs summa, ab alijs substantia. Vt quum dicimus epistolæ caput est. Itaque hæc capita quò sint breuiora, id quod facilè intelligi potest, non adscribitur, quale est: Hoc in paradoxo disputatur, aliúdve quid simile, & verbum principale orationis. Non Stoicorum tantum hòc paradoxum est, sed etiam accedit ad Epicureorum dogma: qui, vt ait Cicero in L. Pisonem, sapientem dicunt, etiam si in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suaue illud esse, seséque ne tantulum quidem commoueri. Tantam virtutis esse vim voluerunt, vt non posset vnquam esse vir bonus non beatus. Idem paulò pòst, Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenses resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt, supplicio videtur affectus. Nec C. Marius, quem Italia seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa deuicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit. Fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ. Supplicium autem est pœna peccati: aliáque in eam sententiam persequitur. Hæc autem disputatio est libri Tusculanarum quæstionum quinti.

Virtutes cōiunctæ.

Nec ego verò.) Hoc modo melius putem legendum, vt in codice antiquo scriptum est, quàm quo modo in vulgatis codicibus, Nec verò ego. vt sit verò aduerbium non coniunctio.

M. Regulum.) Quo supplicio Attilium Regulum Pœni affecerint, est apud A. Gellium cap. 4. lib. 6. & apud Ciceronem lib. de Offic. 3. Tot virtutum præsidio.) Ex more Stoicorum loquitur, qui virtutes coniunctas esse inter se dicunt, &, vt ita dicam, concatenatas, vt nullam quisquam habere poßit, quin habeat reliquas. Comitatu virtutis septus.) In codice antiquo scriptum est comitatu septus. Ibíque virtutis otiosa dictio videtur.

Carperetur.) id est, cruciaretur & laceraretur. In codice antiquo malè etiam scriptum non est, Quũ corpus eius caperetur, capi certè ipse non potuit. Ipse.) id est animus Reguli. Hominem animum esse, sed qui sit in corpore ex Ciceronis sententia scripsimus fusiùs in librum de Senectute. Eam hoc in loco sententiam Cicero sequitur. Capi ipse certè non potuit.) Vt philosophum Anaxarchum accepimus, quum à tyranno Nicocreonte torqueretur, dixisse: Tunde, tunde Anaxarchi sacculum, Anaxarchum nihil tundis. Ea etiam fuit beatorum Martyrum virtus, vt supplicia tyrannorum vel grauißima contemnerent.

C. Marius felix

Vnus ex fortunatis hominibus.) C. Marius in Arpinati agro natus, obscuris tenuibúsque parentibus fuit. In domo Cæcilij Metelli à pueritia minister fuit, vnde virtutis cœpit initium. In Numantiæ obsidione P. Scipionis discipulus & miles fuit. Iugurtham Numidiæ Regem cepit, qui cum duobus filijs ante currum eius triumphantis ductus est. Triumphali veste in Senatum venit, quod ante eum nemo fecit. Teutonos, Ambrones, Cimbros magna strage vicit, de iísque triumphauit. Marsos postea fudit. Septies Consul fuit, quod ante eum contigit nemini. Plures eius secũdas res Plutarchus in eius vita describit, quare in fortunatis hominibus videri poßit. Qualis autem in aduersis rebus fuerit, postquam à L. Sylla Consule in vrbe Roma victus hostis patriæ à Senatu iudicatus est, Cicero scribit in oratione post reditum ad Quirites: Quòd si quis, inquit, existimat me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi quod potuit vis & iniuria, & sceleratorum hominum furor derahere, eripuit, abstulit, dißipauit. Quod viro forti adimi non potest, id mihi manet & permanebit. Vidi ego fortißimum virum municipem meum C. Marium, quoniam nobis quasi aliqua fatali neceßitate, non solùm cum ijs, qui hæc delere voluissent, sed etiam cum fortuna, belligerandum fuit: eum tamen vidi quum esset summa senectute, non modò non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renouato. Quem egomet dicere audiui, tum se fuisse miserum, quum careret patria, quã obsidione liberauisset, & quum sua bona poßideri ab inimicis ac diripi audiret, quum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis, quum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conseruaret, quum parua nauicula traiectum in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos supplex inópsq; venisset. Recuperata verò sua dignitate, se non commissurum, vt quum ea quæ amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam nunquam perdidisset. Quo beatius.) Est enim beatus, qui est ea animi constantia, vt nullis aduersis rebus de gradu, vt aiunt, deiiciatur.

Nescis insane.) Hoc ad M. Antonium referri potest, vt nonnulli putant. Sed quum in communes locos hæc Paradoxa Cicero coniecerit, verisimilius est sermonem infinitum esse, id est, ad nullam certam personam & definitam directum, sed ad quemlibet. Aptus.) id est, colligatus & prudẽs. Aptare enim pro eo quod est colligare & comprehendere veteres Latini dixerunt. Ex sese.) Id est, ex animo suo. Ne vnum diem.) In codice antiquo tantùm scriptum est, vnum diem. Istiusmodi mortis.) quibus tu me terrere conaris. Magnifica verò est illa vox Theodori Cyrenæi, qui Lysimacho regi mortem sibi mini-

tanti, Enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cãtharidis vim assecutus es. Qúmque hoc dicto iratior factus, cruci eum affigi iußisset, Terribilis hæc, inquit, sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humíne an in sublime putrescam. Author est Valerius Maximus lib. 6. de liberè dictis. Quicquid acciderit.) siue mors, siue exilium. In tam ingrata ciuitate.) quam ego ab interitu liberaui, quum Catilinæ coniurationem oppreßi.

Quid enim ego laboraui.) Ostendit se dignum esse eo statu, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum iniuria labefactare poßit. Quòd si contrà contigerit, ciuitas Rom. à se seruata ingrata fuerit. Ab improbis.) aut ab ingratis ciuibus, aut certè ab inimicis meis. Quorum cum vita omnia extinguuntur.) id est, qui nihil vnquam in vita gesserũt, quod apud posteritatem vlla laude dignum esset: quorum memoria, vt dici solet, perit cum sonitu. Ea autem laus apud posteritatem permansura virtute paratur. Inde est illud Virgilij lib. Æneidos 10. breue & irreparabile tẽpus Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus. Iis qui animum vnà cum corpore interire credebant, mors maximè terribilis erat. Itaque authore Aristotele lib. Ethicorum 3. Mors maximè omniũ terribile est. Est enim vltimum vitæ, & nihil pòst homini mortuo aut bonum aut malum esse videtur. Circunscriptus.) id est definitus, vt ei loco fines quidam & limites ascripti sint, vltra quos progredi aut non liceat, aut iucundum non sit. Qui tamen si ita circunscriptus sit, vt ex eo egredi non liceat, id molestum admodum sit. Quemadmodum à patribus accepimus fuisse Parisiensem quendam ciuem septuagenarium, qui nondum vnquam ex vrbe egressus fuerat. Id quum Regi Ludouico xi. inter alia noua dictum esset, homini ad se accersito interdixit, ne toto anno proximo ex vrbe egrederetur. Eo ipso anno ciuis is, cui circunscriptus erat habitandi locus, qui antea nunquam egredi cupijsset, incredibili egrediendi cupiditate incendebatur. Qui omnem orbem terrarum, &c.) Stoici dicunt omnem orbem terrarum vnam vrbem esse. Hoc autem Socraticum est. Socrates enim cùm rogaretur cuiatem se esse diceret: Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam & ciuem arbitrabatur, vt ait Cicero lib. Tuscul. disputat. 5. Vbi illud Teucri dictum scribit, Patria est, vbicunque est bene. Cui nec satis est, quod est.) Vt paradoxo superiore, Nunquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis, &c. Te conscientiæ stimulant, &c.) Authore Cicerone in L. Pisonem, Supplicium est, quod accidere nemini potest, nisi nocenti, suscepta fraus, impedita & oppressa mens cõscientia, bonorum omnium odium, nota iusti Senatus, amißio dignitatis. Idem paulò pòst, Nolite putare P.C. vt in scena videtis homines consceleratos impulsu deorum terreri, Furiarum tædis ardentibus: Sua quenque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Conscientiæ stimulus quantum hominem quiescere non sinat, quantum eius mentẽ vexet, Macrob. per fabulã eã de Tityo gigante, quæ est apud Virg. lib. Æneid. 6. & apud alios poetas, significari dicit lib. de expositione som. Scip. 1. Nihil, inquit, aliud intelligi voluerũt, q̃ tormenta consciẽtiæ flagitio obnoxia, viscera interiora rimãtis, & ipsa vitalia indefessa admißi sceleris, admonitione laniãtis, semperq; curas, si requiescere fortè tẽtauerint, excitãtis, tanq̃ fibris renascẽtibus inhærẽdo, nec vlla sibi miseratiõe parcẽtis: lege hac, qua se iudice nemo nocẽs absoluitur, nec de se suã potest vitare sentẽtiã. Metus exanimãt.) ne iudicijs et legibus supplicio afficiare. Quãobrem.) Cõclusio est, in qua à cõtrario probat paradoxũ. Cõsciẽtia mala.

ΒΟΟΚ Γ. ὅτι αὐτάρκης.) Sufficiẽtẽ vulgò ĩterpretãtur: ἢ, τὴν αὐτάρκειαν, Sufficiẽtiã, quã tamẽ vocẽ Latina puritas respuit. Hæc in Platon. definitionibus sic finitur: αὐτάρκεια ἕξις, καθ' ἣν οἱ ἔχοντες αὐτοὶ αὑτῶν ἄρχουσιν. Est quidẽ hæc Zenonis, Chrysip. et Hecato. sentẽtia. Laert. μόνον τὸ καλὸν εἶναι ἀγαθόν, αὐτάρκη τε εἶναι αὐτὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, καθά φησι

ξίων ὠν, καὶ χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῆν, καὶ ἑκάτων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἀγαθῶν. *Id probare conãtur argumẽtis ex partibus ad totum ductis:* εἰ γὰρ, φησιν, αὐτάρκης ἐστὶν ἡ μεγαλοψυχία πρὸς τὸ πάντων ὑπεράνω ποιεῖν, ἔστι δὲ μέρος ἀρετῆς αὐτάρκης, ἐστὶ καὶ ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, καταφρονοῦσα καὶ τῶν δοκούντων ὀχληρῶν. *Nec tamen omnium Stoicorum est hæc sententia. Panætius enim & Posidonius dissentiunt. Sic apud Laertium sequitur:* ὁ μέντοι παναίτιος, καὶ ποσειδώνιος, οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετὴν, ἀλλὰ χρείαν εἶναι φασὶ καὶ ὑγείας καὶ ἰσχύος. *Nec Stoici tãtum ita sentiũt: nam Academicis quoque hoc placuit. Cic. siquidem ipse in 5. Tusculanarũ, hoc* ἀξίωμα *contra Atticum defendit: & Bruto, cui Cicero hæc dicauit, placuit in eo libro, quem de virtutibus ad Ciceronem scripsit. Cicero lib. 6. Epist. Bene sentire, inquit, & rectè facere, satis est ad bene beatéque viuẽdum. Plato porrò multas in hunc sensum habet sentẽtias, sed catholica Christianorum doctrina omnino dissentit, hominem suis præsidijs exuens,* τήν τε αὐτάρκειαν *in solum patrem cœlestem ponens. Sic Paulus Corinthijs scribit cap. 9. posterioris Epistolæ:* δυνατὸς δὲ ὁ θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ἡμᾶς, ἵνα ἐν παντὶ πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, καθὼς γέγραπται. ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησι. *Probat autem aliam* αὐτάρκειαν, *qua homo sua sorte contentus est. sic enim ad Timotheum scribit idem Paulus sub finem Epistolæ prioris:* ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας. *Et ad Philippenses 4.* ἐγὼ, φησι, ἔμαθον, ἐν οἷς εἰμὶ, αὐτάρκης εἶναι. *Hactenus* περὶ τῆς αὐταρκείας.

Nec verò.) Ex abrupto in causam irrumpit, exordio prorsus dissimulato: perinde atque nixus vel argumenti plausibilitate, vel virtutis maiestate potius, ἀποδείξει *proponit.* Παράδοξα θετικὰ *esse, suprà didicimus. Sed hæc hypothesi magis similia videri possent, nisi ex sequentibus adpareret hypodeigma esse à negantibus. Magnitudo animi.) Morisotus,* εὐψυχία. *Laert.* μεγαλοψυχία. *Theologus in simili exemplo,* μεγαλόνους. *Adscribam exemplum huc minimè inconueniens:* ἐπαινῶ δὲ τῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς τὸ νεανικόν τι καὶ μεγαλόνουν, οἳ μηδὲν κωλύειν φασὶ πρὸς εὐδαιμονίαν τὰ ἔξωθεν, ἀλλ' εἶναι τὸν σπουδαῖον μακάριον, κἂν ὁ φαλάριδος ταῦρος ἔχει καιόμενον. *ex epistola quadam ad Eudoxium. Cæterum ea quæ ad Reguli historiam adtinent, annotauimus Off. 1. vbi hoc exemplo probat & ostendit, hostibus fidem seruandam esse: quæ pars iustitiæ est ex iure gẽtium nata. Cùm corpus eius caperetur.) Placet mihi Morisoti lectio,* ὅταν ἐκείνου σῶμα αἰχμαλωτίζηται. *& huic rei cõfirmandæ seruiet Paradoxum quintum,* ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι. *Quod congruit cum doctrina Christiana, quæ vt corporis seruitutem non aufert, ita Paulus etiam in ipsis vinculis liber fuit. Sed de hoc, suo loco. C. verò Marium.) Non facile dictu est, vtrum Marius ærumnis pluribus an rebus egregiè fortitérque gestis præclarior fuerit. Superat tamen virtus tantum, vt ex his felicior, quàm ex illis ærumnosior dici posit: vsqueadeò ærumna felicitatem ex virtutibus natam non extinguit, imò ne obliterat quidem. Miser videri poterat, cũ Syllæ arma victricia fugeret: at felicissima maiestas, quæ Cymbrũ à nece deterruit. Felicitas in ærumnis apparuit, cum ædibus ipsius direptioni propositis, sacrosancta ipsius maiestas vulgi furorem deterruit. Quid quòd gemina laurus senectutem eius ex ærumnis ereptam, multò maiori cũ gloria coronauit, quàm fuerit antè, calamitate intestina pressus? Plutarchus hæc celebrat, atque Valerius. Confessus tamen ipse Marius fuit, se miserum esse, vt Cicero post reditum coram Quiritibus testatus est. Est insignis locus apud eundẽ Ciceronem in oratione pro Pisone, vbi vtraque hæc exempla citantur, sed annotauit prior Syluius. Obserua obiter elegantissimam anastrophen. Nescis insane.) Hac apostrophe inuehitur in Antonium, in quem hæc oratiuncula videtur instituta. Ergo finita quæstio est. Cui autem.)* ἀντίθεσις. *Eum tu hominem.) Hinc colligo, Paradoxa post Philippicas fuisse scri*

pta, propter quas Antonius Ciceroni necem minatus est, & tandem etiam occasionem nactus intulit. Mortis.) Vt Reguli. Exilij.) Vt Marij. In tam ingrata ciuitate.) Priuatam publicámque ingratitudinem Cicero sensit. Nam & Cn. Popilius Lenas, quem defenderat, Antonio interficiendi patroni officium, nec re, nec verbo ab eo læsus, obtulit vltrò: & de patriæ ingratitudine conqueritur sæpe in orationibus, & testatur abundè Plutarchus.

Mortémne mihi minitaris.) Distributio per antapodoton, vel subiectionem, satis acerba. Mors terribilis.) Turpis mors forti viro non potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. Cicero Catil. 4. *Exilium autem terrib.) Quid enim exul? Ipsum nomen per se calamitatis est, non turpitudinis.* Cic. pro Domo *sua:* ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατὴ, ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος. *Democritus. Orbẽ terrarum.) Prosonomasia. Cui nec satis est.) Allusio rursus ad* αὐτάρκειαν, *sed eam quæ definitur* τελειότης κτήσεως ἀγαθῶν. *Te conscientiæ stimulant.)* ὁμοιόπτωτον. *Vt furiæ.) Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè sceleratéque commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: sua quenque fraus, & suus terror maximè vexat, suum quenque scelus agitat, amentiáque afficit, suæ malæ cogitationes amentiáque animum terrent. Hæc sunt impijs assiduæ furiæ, quæ diu noctúque in peius rapiunt.* Cic. pro Sex. *Roscio. Similis locus est de Legibus* 1. *& in oratione in Pisonem. Vide prouerb. Conscientia mille testium. Iniuriæ.) Agnominatio. Quamobrem.) Epilogus.*

INNOMINATVS. Hoc Paradoxũ pertinet ad finem bonorum, id est, moralis philosophiæ, ac consequitur Paradoxũ superius. Cicero autem lib. de Finibus propensior est ad finem Peripateticũ: illic disputãs vt Academicus liberrimè & probabiliter. at quinta Tusculana sententiam quam explicat hoc paradoxo sequitur, tractátque fusius.

Nec verò.) Initio thesin reuocat ad hypothesin ad orationis popularitatem, atque exemplo & inductione colligit per contrarium, in virtute sola positam esse beatitudinẽ. Non enim.) Ætiologia est ab enumeratione virtutum. Est autem obseruandus Stoicorum finis, qui positus est in præclarissima hominis parte, id est, animo: non in corpore, quod nobis commune est cum brutis: non in fortuna, quæ temeraria est, & nullo modo nostra. C. Marium vidimus.) Maximæ felicitatis est, in vtraque fortuna æquabilem seruare animi tenorem: quod ipsum est magnipendere virtutem, fortunámque contẽnere. Nescis.) Crescit orationis impetus, docétque per comparationem Antonium, quanquam opibus affluentem, quòd tamen sceleratus est, esse miserum: seipsum verò etiam si vel exilio vel morte multetur, quia virtutem habeat, fore semper beatum. Cui autem spes.) Duplex est collatio, Particularis, in comparatione Antonij & Ciceronis: Vniuersalis, in cõparatione eius qui pendet à fortuna, & eius qui pendet à virtute. Mox subnectit consequẽtia. Deinde ex sua persona per antithesin repugnantia. Hic locus valet ad oppugnandam Aristotelis felicitatem. Quid enim) Argumentatio vehemens est à fine quem sibi proposuit in extinguenda Catilinæ coniuratione. Negat enim se fortunam secutum esse, sed laudem & virtutem, quæ fortunæ aleæ non subiacent. Mortémve.) Proponit minas rerum duarum grauissimarum: quarum altera pertinet ad corpus, altera ad res externas. Harum cõtemptione ostẽdit suo ipsius exemplo, in sola virtute collocandam esse beatitudinem. Cum vita.) Prosapodosis est duarum sententiarum ad duo proposita, ac mirè Cicero consentaneus est suo dogmati, qui mortem non expauescat. Exilium autem.) Allusio est ad sententiam Academicam & Stoicam, quòd mundus communis sit ciuitas hominum & deorum, vt cuiusdam loci te incolam existimare non debeas, sed totius mundi. sic enim nunquam exulabis. Te

miseriæ.) Nunc Antonij exemplum adfert, Antoniúmque, quanquam ditißimum esse in promptu sit, miserrimum ostendit, quia perturbationibus agitetur: cùm vita beata posita sit in tranquillitate & securitate animi, quam εὐθυμίαν appellant. Te conscientiæ.) Enumerat perturbationes omnes, quibus obnoxius est Antonij animus. Docet autē in Quæstionibus Tusculanis in animum sapientis perturbationem non cadere. Est igitur Antonius insipidus & miser. Quamobrem quicquid est.) Inductione colligit vniuersalem conclusionem in comparatione cōtrariorum. Appellat autem hominem stultum, more Stoico. Qui enim sapiens non est, & affectibus huc & illuc trahitur, eundem etiam appellant insanū.

Nec verò.) Attexit more Stoico syllogismum aceruatum, vt confirmet virtutem semper esse beatam. Prima pars est à consequentibus.

ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ κατορθώματα. Quòd æqualia sunt peccata. PARAD. III.

PArua, inquis, res est, at magna culpa. Nec enim peccata rerum euentu, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio maius esse, aut minus: ipsum quidem illud peccare, quoquò te verteris, vnum est. Auri nauem euertat gubernator an paleæ, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quàm si etiam petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccauit verò nihilominus, si quidem est peccare, tanquam transilire lineas. quod cū feceris, culpa commissa est: quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certè licet nemini. Quod autem non licet, id hoc vno tenetur, si arguitur non licere. Id nec maius, nec minus vnquā fieri potest: quoniā in eo est peccatū, si nō licuit. Quod semper vnū & idē est: quæ ex eo peccata nascātur, æqualia sint oportet. Quòd si virtutes pares sunt inter se, paria esse etiā vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec tēperante temperantiorē, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri facilè potest perspici. An virum bonum dices, qui depositū nullo teste, cùm lucrari impunè posset, auri pondo decem reddiderit, si idem in decem millibus pondo auri non idem fecerit? Aut temperātem eū, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Vna virtus est consentiens cum ratione, & perpetua cōstantia. Nihil huic

LATOM.

Argumētatio ex efficientibus. Nā effectus sequitur naturā causæ. Ergo si vitia paria sūt, & peccata quæ inde oriūtur paria sint necesse est.

Declarat exemplis quæ à speciebus sumūtur per inductionē.

Similitudine declarat rem.

Argumētatio per soriten, ex vi definitionis.

Argumētatio ex cōparatis, peccata inter se paria esse, q̄a virtutes sint pares.

Nā sub eādē ratione veniūt peccata & rectè facta, sicut vitia et virtutes.

Explicatur argumētatio ꝑ syllogismum conditionalem. cuius adsumptio probatur per inductionē ex speciebus ductā, quæ ex ꝓprijs iustitiæ & tēperantiæ confirmantur.

addi poteſt, quò magis virtus ſit: nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur. Etenim ſi bene facta, rectè facta ſũt, & nihil recto rectius: certè nec bono quidem melius quicquam inueniri poteſt. Sequitur igitur, vt etiam vitia ſint paria: ſiquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes ſunt, rectè etiam facta, quando à virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent. Itémque peccata, quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt. A philoſophis, inquis, iſta ſumis. Metuebã ne à lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo. Bene Hercule narras, nam iſtum doctum & ſapientem virum fuiſſe memoriæ traditũ eſt. Sed tamen quęro ex te, (quoniam verbis inter nos contendimus, nõ pugnis) vtrum potius de bonis eſt quærendum, quid baiuli atque operarij, an quid homines doctiſsimi ſenſerint, præſertim cũ hac ſententia non modò verior, ſed ne vtilior quidem hominum vitæ reperiri vlla poſsit? Quæ vis eſt enim, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quàm ſi ſenſerint nullum in delictis eſſe diſcrimẽ? & ęquè peccare ſe, ſi priuatis, ac ſi magiſtratibus manus inferant? quancunque in domum ſtuprum intulerint, eãdem eſſe labem libidinis? Nihílne igitur intereſt (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an ſeruum? Nuda iſta ſi ponas, iudicari qualia ſint, non facilè poſſunt. Patrem vita priuare, ſi per ſe ſcelus eſt: Saguntini qui parentes ſuos liberos emori, quàm ſeruos viuere maluerunt, parricidæ fuerunt. Ergo & parenti nõnunquam adimi vita ſine ſcelere poteſt, & ſeruo ſæpe ſine iniuria non poteſt. Cauſa igitur hæc non natura diſtinguit. quæ *quum *vltrò acceſsit, id fit propenſiùs: ſi vtrique adiuncta eſt, paria fiant neceſſe eſt. Illud tamen intereſt, quòd in ſeruo necando, ſi id fit iniuria, ſemel peccatur: in patris vita violanda multa peccantur. violatur is qui procreauit: is qui aluit: is qui erudiuit: is qui in ſede, ac domo, atque in Republica collocauit. multitudine peccatorum præſtat, eóque pœna maiore dignus eſt. Sed nos in vita non quæ cuique peccato pœna ſit, ſed quantũ cuique liceat, ſpectare debemus. Quicquid nõ oportet, ſcelus eſſe: quicquid nõ licet, nefas putare debemus, etiam in minimis rebus? Etiam. ſiquidẽ rerũ modũ fingere non

Cõcluſio per ſoriten colligitur.

Epiphonema claudens probationis ſententiam:

Approbatio ex coniugatis:

Cõcluſio argumẽtationis, quæ per ſoritẽ colligitur.

Occupatio obiectionis, quã reprehendit ab officio prudẽtiæ, & vtilitatis ratiõe: à ſapiẽtibus doctrinã de bonis petendã eſſe, & hoĩes ſalutari ſentẽtia ab ĩprobitate arcẽdos:

Alia obiectio, quã ſoluit diſtinguẽdo peccata natura inter ſe paria eſſe. ſed rebus, temporibus, locis, cauſis, & pſonis aliud alio eſſe maius.

Soluit dubitationem, facta per ſe nec bona nec mala eſſe: ſed cauſa cur facta ſint diſtingui.

**aliàs quoniam*
**aliàs vltrò*

Quũ cauſa peccãtis propoſita eſt, peccatur procliuius: at poſtq̃ peccatũ eſt admiſſum, tũ paria ſint inter ſe neceſſe eſt.

Exemplum à minori. possumus, animorum modũ tenere possumus. Histrio si paulùm se mouit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba vna breuior, aut longior, exibilatur & exploditur: in vita, quæ omni gestu *moderatior, omni versu aptior esse debet, vt in syllaba te peccasse dices? Poetam nõ audio in nugis, in vitæ societate audiam ciuem digitis peccata dimetientem sua? Si visa sint breuiora, leuiora videãtur. Quî posint videri, cùm quicquid peccetur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis? perturbata autem semel ratione & ordine, nihil posit addi, quo magis peccari posse videatur?

Repetit vim exempli, quã subiecta approbatione cõfirmans disputationem abruptè concludit.

**In alijs legitur modulatior.*

Peccata paria.

SYLVIVS. Hoc paradoxum est Stoicorum. Ii enim peccata paria existimant, vt Chrysippus ait in quarto Naturalium quæstionum, & Perseus & Zeno. Nam si verum vero maius non est, nec falsum falso maius erit. Ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum. Nam & qui centum stadia abest à Canopo, & qui vnum, æquè in Canopo non sunt. Itaque & qui minus peccat, & qui amplius, æquè in recto opere non sunt. Authore Cicerone lib. de Finibus 4. Stoici peccata paria probãtes, negant honesto quicquam honestius, atque turpi turpius. Vt, inquiunt, in fidibus plurimis, si nulla earum ita contenta numeris sit, vt concentum seruare posit, omnes æquè incontentæ sint: sic peccata quia discrepant, æquè discrepant, paria sunt. Itemque: Quoniam, inquiũt, omne peccatum imbecillitatis & inconstantiæ est: hæc autem vitia in omnibus stultis æquè magna sunt, necesse est esse peccata paria. Eodem authore eodem libro, Stoici eos qui natura doctrináque longè ad virtutem præcesißent, nisi eam planè consecuti essent, summè esse miseros dicunt, nec inter eorum vitam, ac improbißimorum quicquam omnino interesse. Vt Plato tantus ille vir, si sapiens nõ fuerit, nihilo melius, quàm quiuis improbißimus, nec beatius vixerit. Idem Stoici dicunt, vt est apud eundem pro L. Murena, nõ minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quàm cum qui patrem suffocauerit. Item pro Milone, vt ad iudicia quoque hoc paradoxum peruenire cognoscas. Non alio, inquit, facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitæ dignitatem summorum atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem pœnis teneatur. A legibus.) Nisi fortè magis erit parricida, si quis cõsularem patrem, quàm si quis humilem necauerit. Platonis quoque (antequam secta Stoicorum esset) hæc fuit sententia, vt hoc paradoxum Socraticum videatur. Is enim libro de Legibus 12. Si quis, inquit, publicum aliquid furatus fuerit, siue paruum, siue magnum id sit, pari supplicio afficiatur. Nam qui rem paruam sustulit, & si minori vi, quàm qui magnã rapuit, æqua tamen cupiditate furatus est. Aristippus Cyrenaicus, qui Platonis æqualis fuit, quíque summum bonum in voluptate corporis posuit, voluptates pares dixit, nec differre à voluptate voluptatem, nec plus altera mulcere alteram, vt in vita eius Diogenes Laertius scripsit. Rerum euẽtu) i. eo in quo peccatur, iisque rebus quæ consequantur, postquã peccatum sit. Sed vitijs.) id est cupiditate & scelere eorum qui peccarant. Metienda.) id est æstimãda, &, vt indocti dicunt, mensurãda. Quoquò te verteris.) id est quodcunque peccatum commiseris. Auri.) id est auro onustam. Lapsa est libido in muliere ignota.) id est ignota & obscura mulier stuprata est. Tanquam trãsire lineas.) In ludo pilæ vitia quoque paria, & virtutes pares videre licet. Si quis enim pilam proximè

funem, sed supra pepulerit, nõ magis vincet, quàm si altißimè pepulisset: Si quis item infra funem, sed proxime pepulerit, tantum amittet, quantum si ea tantummodo tacta, pulsa non fuisset. Transilire lineas.) Nam est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos vltra citráque nequit consistere rectum. Si arguitur non licere.) id est si ostenditur, quòd non liceat. Id autem non licere nec maius quidem est, nec minus. vt, Non licet tibi magis occidere hominem alienum quàm alij patrem. Quòd si virtutes pares sunt.) Argumentũ est ex consequentibus, quod Cicero vocat, ex rebus sub eandem rationem venientibus. Si virtutes pares sunt.) Stoici virtutes pares esse dicebant. Mnesarchus, vt ait Cicero lib. de Oratore 1. qui virtutem vnam haberet, omnes habere, eásque ipsas inter se æquales esse & pares dicebat. Chrysippus Stoicorum grauißimus, librum vnum scripsit, quòd virtutes æquales sint, vt est apud Diogenem Laertium lib. 7. Nec bono viro meliorem.) Stoici negant quenquã virum bonum esse nisi sapientem. Sapientem autem dicunt eum qui ita perfectus est & absolutus, vt omnes virtutis numeros habeat, quam sapientiam adhuc mortalis nemo est consecutus, vt ait Cicero in Lælio. In iis autẽ in quibus sapientia perfecta nõ est, ipsum illud quidem perfectũ honestum nullo modo esse potest, sed similitudines honesti esse possunt. Vt ait idem lib. de Officiis 3. Bono igitur viro melior esse non potest, si is demũ bonus est qui omnes virtutis numeros habet. Nam plures alius habere non potest. Depositum.) Fidei suæ cõmissum. Lucrari.) negando se accepisse. Auri pondo decem, &c.) Eum qui depositum nõ reddat, virum bonum nõ esse, Herodotus lib. 6. significat. Is enim de Glauco Lacedæmonio ad hanc scribit sententiã, Vir quidam Milesius apud Glaucum, qui iustus prædicabatur, dimidiam suam pecuniã deposuit. Mortuo illo viro Milesio, eius filij ostensa nota, quam à Glauco eorũ pater acceperat, depositum reposcunt. Negat Glaucus meminisse se accepti depositi, sed cum his agit, vt quarto mense redeant, vt iis depositũ reddat, si reminiscatur. Interim Apollinem consulit, an iureiurando depositum negaturus sit. Ei Pythia respondet, Nihil referre deum tentare, & facere. Itaque fore vt tota Glauci domus intereat, quod breui factũ est. Effuderit.) i. effuse ei operã dederit. Constantia.) perseuerantia. Nihil recto rectius.) Vt si recta regula est, alia rectior esse nõ potest. Prauitates animi.) Prauum & rectum contraria sunt. Inquit.) aliquis, quicũque sit. Socrates, &c.) dicet idem. Istum doctũ & sapientẽ virũ.) Socratẽ oraculo Apollinis iudicatũ fuisse sapientissimũ, ignotũ nõ est ei qui paulò humanior sit. Baiuli.) onera ferentes, quos hæc quoq; ætas postremos existimat ex iis qui labore corporis victũ sibi quærunt. A Baiis baiuli dicti sunt. Quæ sit eius verbi ratio alio loco docuimus. Operarij.) i. vt vulgò dicũt, mechanici. Sed ne vtilior.) Huius paradoxi vtilitas quæ sit ostẽdit. Hoc certè Paradoxũ bonos viros ab improbitate etiã parua arcere poßit, si peccata omnia paria esse cognoscãt. Improbi autẽ homines ad grauißima quæq; flagitia excitari poßint, si iis se grauius peccaturos non existiment, quàm si leue aliquod scelus admitterẽt. Manus inferãtur.) In codicibus aliis est, manũ inferãt. Inferre manũ & afferre dicimus, pro eo quod est aliquẽ iniustè percutere, siue manu, siue telo. Quãcunq; in domũ) Familiã siue nobilẽ siue ignotã. Nuda.) i. simplicia, & vt ita dicã, sine circũstãtiis. Per se.) i. simpliciter, & in generali. Sagũtini.) Hi enĩ metuẽtes ne in hostis manus deuenirẽt, inclusi cũ cõiugib⁹ ac liberis, domos super seipsos cõcremauerũt. Vt est apud Titũ Liuiũ lib. 21. Liberos.) i. nõ captiuos. Parenti nõnunquã.) Vt Saguntini fecerunt. Sine iniuria.) Antiquo iure Romanorũ domini in seruorũ necem potestatẽ habuerunt. Authore Modestino lib Digest. 48. ad legem Corneliam de Sicariis: post legẽ Petroniã & Senatuscõsulta ad eam legẽ pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio seruos tradere. Oblato tamẽ iudici seruo, si iusta

Virtutes pares

Glaucus Lacedæmonius.

Baiuli.

Seruos à dominis occidi non licet.

Multa peccantur.

Præstare, in re mala dictum.

sit domini querela, pœnæ tradetur. Diuus Hadrianus, vt in eius vita Ælius Spartianus tradit, seruos à dominis occidi vetuit, eósque iußit damnari per indices, si digni essent.

Caussa distinguit hæc.) patrem & seruum necare. Multa peccantur.) Genus hoc dicendi, quia rarum est, adnotandum est. Is qui sese ac domo.) In codice antiquo ita scriptum inuenio, Is qui in domo, in sede, in Repub. collocauit. In sede.) Vt in 1. Æneidos, sedes vbi fata quietas Ostendunt. Præstat.) id est, præponderat. Et in rem malam præstare dici adnotandum est. Non quæ cuique peccato pœna sit.) Nam rerum euentu peccata metienda non sunt. Ex euentu autem pœna constituitur. Sed quantum cuique liceat.) Licere & oportere ita distingui, vt hoc species sit, illud genus, pro Cornelio Balbo scripsimus. Etiámne in minimis rebus.) Legendum fortasse sit, etiam in minimis rebus. Rerum modum.) id est, limitem & lineas, quas transire non oporteat. Si pauló se moueat.) In codice antiquo melius scriptum videtur, si paululũ sese mouerit. Sese mouerit.) id est, motum corporis fecerit. Extra numerum) id est, modos, &, vt vulgò dicunt, contra notulas & cantum. Vt in saltationibus fieri videmus. Syllaba vna breuior aut longior.) intelligi poßit. si breuis syllaba vt longa aut contrà pronunciata sit: sed potius si versus syllaba vna deficiat, aut abundet. Exibilatur & exploditur.) in codice antiquo scriptum est solum, exploditur. In vita quæ omni gestu, &c.) Cicero in libris de Officiis quale sit vitæ decorum, sæpe ostendit ex histrionum decore. Omni vsu.) In codicibus aliis melius scriptum est omni versu, vt gestus ad motũ, versus ad syllabam referatur. Peccare.) peccasse, non peccare, in antiquo codice lego. Poetam non audio in nugis.) A minore ad maius ostendit improbitates animi arcendas esse. In nugis.) id est, in rebus vanis, & in fabulis. Digitis peccata dimetientem.) Mos quidam non vulgaris fuit apud veteres per digitos corúmq; articulos dinumerandi, quẽ ex venerabilis Bedæ sententia Iodocus Clichthoueus ascripsit lib. 6. quem de mystica numerorũ significatione edidit. Ordinis.) id est modestiæ, quam Græci εὐταξίαν nominant, quam Stoici definiunt, vt sit scientia rerum earum quæ aguntur aut dicuntur, loco suo collocandarum. Vt est in libro Ciceronis de Offic. 1.

Magis.) Lego minus in codice antiquo.

BETVLEIVS. Ἁμαρτήματα *Græcis, sicut Latinis peccata, errores sunt, non scelera & flagitia, quæ ex nefario pectore proficiscuntur, sed quæ cõmittuntur ex incogitantia, & temeritate aliqua, negligentius & incautius. Quod propterea moneo, vt pueri doceãtur, hoc nomine aliud ferè gentiliciis, quàm sacris literis significari. Nam* τὰ ἁμαρτήματα, καὶ αἱ ἁμαρτίαι *in diuinis scripturis significant delicta aduersus præceptum diuinum admissa: sed quæ aduersus Deum, apud humanos scriptores piacula,* πλημμελημένα, πλημμελήματα, ἐγκλήματα, ἢ ἐγκεκλημένα *dicuntur. Bud. Quanquam vtrinque (vt ex his exemplis patet) omne scelus peccatum est, sed non omne peccatum scelus. Nam nauem impingere vt scelus non est, ita peccatũ est maximum. Super hoc nomine Roterodamus nonnihil in Nuce Ouidiana annotauit. Aristoteles in Moralibus libro quinto, capite octauo, inter infortunium seu casum, & peccatum, hanc ponit differentiam vt cùm non inconsultò quidem aliquid fiat, sed non de industria, peccatum nominari: verùm si prorsus inconsultò fiat, infortunium & casum dici. Sed audiamus ipsum Aristotelem:* ὅταν μὲν οὖν παραλόγως ἡ βλάβη γίνηται, ἀτύχημα. ὅταν δὲ μὴ παραλόγως, ἄνευ δὲ κακίας, ἁμάρτημα. ἁμαρτάνει μὲν γὰρ, ὅταν ἐν ἑαυτῷ ἡ ἀρχὴ τῆς αἰτίας. ἀτυχεῖ δὲ, ὅταν ἔξωθεν. *Parua inquit.) Quis inquit? Peripateticus fortè aliquis, aut cõmuni sententia imbutus, Stoicæ factionis aduersarius. Laert. hoc* παράδοξον *Chrysippo, Persæo, & Zenoni tribuit. Verba Laertij subijciã:* ἀρέσκει τε αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ἠθι

κῶν ζητημάτων, καὶ περσαῖος, καὶ ζήνων. εἰ γὰρ ἀληθὲς ἀληθοῦς μᾶλλον οὐκ ἔστι, οὐδὲ ψεῦδος ψεύδους, οὕτως οὐδὲ ἀπάτη ἀπάτης, οὐδὲ ἁμάρτημα ἁμαρτήματος. καὶ γὰρ ὁ ἑκατὸν σταδίους ἀπέχων κανώβου, καὶ ὁ ἕνα, ἐπίσης οὐκ εἰσὶν ἐν κανώβῳ. οὕτω καὶ ὁ πλεῖον καὶ ὁ ἔλαττον ἁμαρτάνων, ἐπίσης οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ κατορθοῦν. ἡρακλείδης μέντοι ὁ ταρσεὺς, ἀντιπάτρου τοῦ ταρσέως γνώριμος, καὶ ἀθηνόδωρος, ἄνισα φασὶ τὰ ἁμαρτήματα. *Apud Ciceronem de Finibus tertio disputatur hæc quæst. fusius. Iouinianus in hoc Stoicorũ fuit errore, vt Augustinus testatur, ad Hieronymum, περὶ τοῦ, Faustus est omnium reus. vbi hoc dogma improbat, improbat item contra Mendacium ad Consentium. Irrumpit rursus in causam sine exordio. Nec enim.) Tamen, vel interim, malim. Sed vitiis.) Huc respexerunt iudices, qui in puerum, qui passerculorum oculos confixerat, animaduerterunt. Sed summum ius, summa iniuria.*

Auri nauem.) Vtitur ad probabilitatem, similitudine. In gubernatoris inscitia.) Hoc soluet illud in Finibus, In gubernando nihil interesse, in officio verò plurimum. Gubernauit Hassus, gubernauit Saxo: eodem euentu impegit vterque. in altero nõ desideratur officium, in altero plurimum. Ergo disparia sunt peccata. Causa, etiamsi finalis, & impulsio, magis quàm euentus rei spectanda est. Peccare transilire lineam.) Lineam dicit τὴν μεσότητα, quam Horatius modum appellat, & finem, id est, terminum:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit consistere rectum.

Nos hoc argumentum melius intelligemus, si certamen ad scopum collimantium ante oculos statuerimus. Qui scopũ vel leuiter adtigit, tenet: qui verò vel tantillũ à scopo aberrauit, tam excidit, quàm qui longissimè. Quòd si virtutes.) Sed in Officiis docuimus, virtutes vnius esse generis, & eas inter se similes esse, vitia verò nequaquã. Quare hoc argumentum à contrariis ductum, parum valet. Nec recto rectius.) Nam quod Geometræ vel mediocriter flexum est, rectum dici non meretur. Nec bono melius.) Hoc constabit Stoicis, Catorthoma statuentibus. Nam in mediis officiis, vt nec virtutum, ita nec peccatorum æqualitas esse poterit. Sed illa τοῦ κατορθώματος perfectio, nuspiam gentium adhuc inuenta est.

An virum bonum.) Argumentum ab analogia. Dicit tantũdem peccati esse, si neges depositum centum coronatorum, quàm centenorum millium. Cæterùm an vir bonus impunitate peccaturus sit, disputat copiose Cicero in Officiis. Vna virtus consentiens.) ὁμολογουμένην διάθεσιν Stoici finiũt. Cic. quoque de Leg. 1. virtutẽ definit naturam in se perfectã, & ad summum perductam. Stoici planè sic colligunt, Virtus est summũ bonũ: Ad summũ nihil accedere potest: Ergo ad virtutem nihil accedere potest. Lege ad hanc rem congruentia apud Senecam epistola prima libri noni. A philosophis.) Eludit hanc obiectionem iculariter, per instantiam. Socrates.) Consule Maioragium. Est alioquin, vt Plinius inquit, benignum & plenũ ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. Sapientem) Oraculo etiam Apollinis sic iudicatũ, vt alibi dictum est. An quid homines doctiss.) Quasi verò soli Stoici vel philosophi, vel docti fuerint. Quæ vis.) Dialogismus. Nihílne.) Obiectio, ab absurdo. Cic. ipse hoc Paradoxon Catoni contra Murenam dicenti, non sine scommate obiicit, omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocauerit. Nuda.) remota à circunstantiis. Saguntini.) Historia notior est, quàm quæ hoc loco narratione opus habeat. Scribit hanc Liuius, 1. Decad. 3. Polybius lib. 3. Val. lib. 6. cap. 6. Silius Italicus lib. 2. Cicero in Philippicis. Natum est inde Prouerb. Saguntina fames. Quanquam Polybius nullam istius incendij mentionem facit, & Liuius vix attingit.

Scelus.) Obserua disertam inter scelus & nefas differentiam. Sed apud Iureconsultos

nefarium amplius quiddam est, quàm illicitum. Histrio.) Appositissima similitudo. Cic. Off. I. Nec verò concedendum est histrionibus, & oratoribus, vt his sint hæc apta, nobis verò dissoluta. Sed hunc locum melius intelliges, si Erasmum legeris in dialogo de Pronunciatione, eo loco, vbi de antiqua dramatum agendorũ apud antiquos ratione scribit. Moderatior.) Quid si modulatior legas? Digitis.) Alludit huc Cic. quòd poetæ carminis pedes digitis metiri soleant. Vnde & Horat. in Arte,

Legitimúmque sonum digitis callemus & arte.

PARVA, INQVIT, RES

INNOMINATVS. Meritò nunc inseritur hoc paradoxum, quia superioribus repugnat. Nam quemadmodum ex virtute nascuntur rectè facta, sic ex vitio nascuntur peccata. Hoc porrò paradoxum minimè verum videtur. Sunt tamen hanc Stoici rationẽ secuti, quòd virtutes essent æquales: vt ex contrario idem colligatur. In peccatis itaque peccant, duntaxat vitium, non etiam circũstantias expendentes. Parua, inquit.) Occupatione auspicatur paradoxũ, & occupationẽ soluit αὐτεσαγωγῇ. Auri nauem.) Adiicit hîc exẽpla ficta, quæ casus appellant, quibus docet non à re, sed vitio peccatũ esse existimãdum.

Siquidem est.) Argumentũ est à definitione metaphorica. Est autẽ metaphora ducta à lineis ludorũ Circensiũ, vel etiam à lineis, quæ distinguebant ordinẽ in theatro subselliorũ.

Quod autẽ.) Vtitur sorite Stoicorũ: cúmq; quod non licet, sit semper idẽ: peccatum semper idem erit, nec maius nec minus. Quòd si virtutes.) Prolixa est argumentatio propter accumulationem. Propositio est ducta à contrariorum comparatione. Cæterùm quod de virtutibus ait, in cõparatione accipiendum est, non de vnius specie virtute inchoata, sed & similis, non perfecta, quæ omnes habet diuersarũ numeros, estque in solo sapiente. Atqui.) Assumptio est per epagogen, à formis virtutum ducta. itaque bonum virum accipere pro iusto oportet, vt ait I. Offic. à iustitia bonos viros appellari, sapientem verò pro prudente. Est enim prudentia posita in inquisitione veritatis & delectu boni. An virum.) Comprobatio est ab exemplis, à duabus ducta virtutibus, iustitia & tẽperantia. Dicimus autẽ pondo in auro, pro centum & duodecim solatis cum semisse: in argento, pro asse, & paulò plus.

Non idem.) Significare vult, virtutem absolutam esse atque perfectam, & omnibus numeris constare debere, alioqui virtutem non fore. Quòd si verũ est, virtus semper erit par & æqualis. Aut tẽperantia.) Additur approbatio epiphonematica à definitione virtutis. Porrò vt scribit in Tuscul. constantia virtutem efficit, vt leuitas & incõstantia vitiũ. Etenim si benefacta.) Argumentũ est hypotheticũ, in quo rectè facta accipere debemus officia perfecta, quæ à perfecta virtute oriuntur: sic enim Cicero vertit κατόρθωμα. Hæc differunt à mediis officiis, quæ oriuntur ab imperfecta virtute. Atqui quoniam.) Colligit aliam cõclusionẽ ab efficientibus. Nã antea concluserat in vitio & virtute, nunc in peccato. Siquidem Stoicè appellat vitium, qualitatẽ virtuti contrariã: Peccatum autem malum opus est, quod oritur à vitio. Vtrũ bonis.) Significat ab illis qui alicuius artis sunt, mutuãdas esse rationes, non ab imperitis qui iudicare non possunt. Nam cuique in sua arte experto credendũ est. Quæ vis est enim.) Vtilitatẽ dogmatis probat à cõsecutione cõmodi. Cæterũ alia est sentẽtia legum. Si quis enim priuatum pulset, priuata est actio iniuriarum: at si quis magistratum, est iudicium ac pœna læsæ maiestatis. Præterea lex Iulia in adulteriis & stupris rationẽ habet personarum ad grauitatẽ aut imminutionem pœnæ. Nihílne igitur.) Duo vitia eiusdẽ speciei proposuit, quorum alterũ grauissimum putatur, alterũ leuissimũ. Olim enim necare seruum, leuissimũ erat peccatum: at patrẽ matrémve interficere, grauissimum, vt notũ est ex lege Põpeia de parricidiis. Obiectionem ita dissoluit Cicero, vt in vitii natura

nihil interſit, in circunſtantia interſit. Saguntini.) Saguntini populi Hiſpaniæ initio ſecundi belli Punici, cùm in deſperationem rerum omnium eſſent redacti ab Hannibale, ſe cũ parentibus cremare maluerunt, quàm in hoſtis poteſtatem venire. Hoc exemplo probat non ſemper eſſe parricidium, cùm parens interficitur. Quæ quoniam.) Eſt propter cauſam fidei grauius crimen. Ergo ſi par erit vtrobique cauſa, vtrobique par erit delictum. Illud tamen.) Differentiã peccati ducit à circunſtantijs, quæ petuntur à perſona patris & ſerui. quibus colligit in parricidio, non vnum eſſe peccatum, ſed multa. Sed nos.) Aliter Stoici, aliter leges de peccatis ſtatuunt. Leges excedunt circunſtantias & rei euentum: Stoici naturam vitij illicitam. Siquidem rerum modum.) Hypophora, quæ oſtendit à rebus eſſe diſcrimẽ petendũ in vitio: alioqui cùm ſit infinita rerum varietas, infinita eſt quoque vitiorum inæqualitas, atque in his modus præſcribi non poteſt. Hiſtrio ſi paulũ.) Exemplum eſt à minori, ac ſignificat in vita ſemper grauia eſſe peccata. Numerum.) Fabius lib. 9. ait, non ſolũ in verbis numerum eſſe, ſed etiam in motu corporis. Eſt igitur hic numerus, decens geſtus. Digitis) vt ſciat quàm grauia, quámque leuia. Quæ ſi viſa.) Metaphora videtur ducta à menſoribus, qui decẽpedis colligunt rei breuitatem aut prolixitatem.

Quum quicquid peccatur.) Concludit paradoxum duobus vitijs, quæ contraria ſunt tẽperantiæ, & ex ſeipſis omnia peccata producũt, quemadmodum ſcribitur in Offic. & Tuſcul. Sunt autem ea, perturbatio & ἀταξία, id eſt malus ordo.

ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. Omnes ſtultos inſanire.

PARAD. IIII.

EGo verò te non ſtultum, vt ſæpe: non improbũ, vt ſemper: ſed dementem, & inſanum rebus addicam neceſſariis. Sapientis animus magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, vt mœnibus ſeptus, vincetur & expugnabitur, qui nec ciuitate quidem pelli poteſt? Quæ eſt enim ciuitas? omníſne conuentus etiam ferorum & immanium? omníſne fugitiuorum ac latronum cõgregata vnum in locum multitudo? certè negabis. Num igitur erat illa tũ ciuitas, cùm leges in ea nihil valebãt, cùm iudicia iacebãt, cùm mos patrius occiderat, cũ ferro pulſis magiſtratibus, Senatus nomen in Repub. non erat? Prædonum ille concurſus, & te duce latrocinium in foro conſtitu-

LATOM. Ex abrupto incipit, & rurſus thema reuocat ad hypotheſin, vt ſit popularior oratio. Inuehitur enim in P. Clodiũ improbiſsimũ hominẽ & inimicũ ſuũ, vt illius improbitate demõſtrata cũctos improbos vt ſtultos eſſe, ita inſanire cõfirmet. Argumentatione vtitur ex factis Clodij, quibus illũ & ſtultum eſſe & inſanum oſtendit. A definitione ciuitatis probat ſe ciuitate pulſum non fuiſſe. Concludit ciuitatẽ Tribuno Clodio nullã fuiſſe. Alia argumentatio à perſona ſapientis & nocendi differentia, ſapienti noceri nõ poſſe, etiã ſi bona eripiantur. Alterũ eſt à ſubiecto, alterũ ex pugnantibus. Nam neq; ſapiẽs capax eſt huiuſmodi iniuriæ, & repugnat inter ſe, bona aliena auferri, & iniuriam factam eſſe. Argumentatio tractatur per ſyllogiſmum, cuius primo loco intentio eſt, deinde adſumptio per ironiam, demum propoſitio. Poſtremò tota vis eius per contentionem ex contrario renouatur, vt ſi mihi eripuiſſes, &c.

tum, & reliquiæ coniurationis à Catilinæ furiis ad tuum scelus furorem que conuersæ, non ciuitas erat? Itaque pulsus ego ciuitate non sum, quæ tũ nulla erat: accersitus in ciuitatẽ sum, cùm esset in Repub. Consul. qui tum nullus fuerat: esset Senatus, qui tũ occiderat: esset consensus populi liberi: cũ esset iuris & æquitatis (quæ vincula sunt ciuitatis) repetita memoria. At vide quàm ista tui latrocinii tela contempserim. Iactam & immissam à te nefariam in me iniuriam semper duxi, peruenisse ad me nunquam putaui: nisi fortè cùm parietes disturbabas, aut cũ tectis sceleratas faces inferebas, tũc meorũ aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus Respub. inuictissima stat, si huius æterni beneficij immortalem memoriam deleuisses: multò etiam magis, si illam mentem, vnde hęc consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si hæc nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calamitosum. Ergo ego semper ciuis eram, & tum maximè, cùm meam salutem Senatus exteris nationibus, vt ciuis optimi commendabat. Túne nunc quidẽ? nisi fortè idem hostis esse, & ciuis potest. An tu ciuem ab hoste natura ac loco, non animo factísque distinguis? Cædem in foro fecisti: armatis latronibus templa tenuisti. Priuatorum domos, ædes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu ciuis? Potes autẽ esse tu ciuis, propter quẽ aliquãdo ciuitas non fuit? & me exulẽ tuo nomine appellas, cùm omnes meo discessũ exulasse Rempub. putent. Nunquámne homo amentissime te circunspicies? nunquámne quid facias considerabis, nec quid loquare? Nescis exiliũ, scelerũ esse pœnã, meũ illud iter ob præclarissimas res à me antè gestas esse susceptũ? Omnes scelerati atque impij, quorũ tu te ducẽ esse profiteris, quos leges exilio affici volũt, exules sunt: etiã si solũ non mutarunt. An quũ omnes leges te exulẽ esse iubeant, nõ eris tu exul? Non appellatur inimicus, qui cum telo fuerit ante Senatum? tua sica deprehensa est. qui hominem occiderit? tu plurimos occidisti.

Conclusio. Occupatio ironica, quã probat ex repugnantibus, ciuẽ & hostẽ inter se differre, ergo ciuẽ non esse, quia sit hostis. Clodiũ hostẽ ꝓbat ex factis, confirmat ex pari, Spartacũ sic hostẽ fuisse. Argumentũ subiũgit ex repugnantibus, ciuem non esse, quia ciuitatem oppresserit. Atq; inde inuadit obiectionem, ꝙ se exulẽ appellet, qđ acriter reprehẽdẽs definiendo quid sit exilium in Clodium conuertit. Schema ꝑ subie

qui incendium fecerit? ædes Nympharum manu tua deflagrarũt. qui templa deorum occupauerit? in foro castra posuisti. Sed quid ego cõmunes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiarissimus tuus Cornificius de te priuilegiũ tulit, vt si in opertũ Bonæ deæ accessisses, exulares. At te id fecisse etiã gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus in exiliũ eiectus, nomen exulis nõ perhorrescis? Romę sum, inquis, & tu quidẽ in operto fuisti. Non igitur vbi quisque erit, eius loci ius tenebit, si ibi eum legibus esse non oportebit.

ctionem. Et est argumentatio à factis Clodij, illum inimicũ ciuitatis, ac proinde exulem esse. Correctio quæ auget ordinem probationis, & pfert priuilegiũ in Clodium latum. *Bonam deam significat, cui matronæ in domo Pont. Maximi sacrificabant. Historiam de Clodio lege apud Plutarchum in vita Ciceronis. Conclusio cum occupatione, qua reprehenditur è pari.*

SYLVIVS. Omnes stultos insanire.) Vt in morbis corporis multò leuior stultitia, quàm insania, existimari solet: ita in morbis animi insania multò grauior existimata est, quàm stultus dicatur, qui etiam leue aliquod crimen admisit, etiam ex imprudentia. Insanus verò qui multis criminibus vel grauissimis dedita opera susceptis, ita se implicauit, vt hoc ipsum peccare eũ delectet, etiam si nulla peccandi caussa sit. Stoici verò vt omnia peccata existimant æqualia, ita stultitiam insaniæ parem faciunt. Hoc autem Paradoxon non tam probat Cicero, quàm docet P. Clodium insanum esse, eúmque multis legibus damnatum exulem fuisse, quanuis solũ non mutauerit: se verò exulem fuisse negat, quanuis vt Clodiano furori cederet, ex vrbe exiuerit.

Ego verò te.) Primùm ostendit P. Clodium insanum esse, se verò sapientem. Nõ stultum.) vt vulgus stultum intelligit. Rebus addicam necessarijs.) Sunt qui hoc ita exponant, argumentis veris & certis conuincant, quòd argumẽta quibus dubia & incerta probamus, certa & confessa esse debeant. Incertis enim dubia probari nõ possunt. Fortasse possit intelligi, vt Cicero dicat curatorem Clodio dandum tanquã furioso. Furiosum enim dominum esse rerum suarum vetant 12. Tabulæ, vt scripsi amplius in Catonem maiorem. Furiosus igitur, quum ei curator datus est, necessarijs rebus addictus est, nec suis rebus vti potest sine curatoris authoritate. Hic sensus si placeret, legendum esset, Ego verò te non modò stultum, vt in aliquo vno codice inueni scriptum. Tolerantia.) id est, patientia. Rerũ humanarum.) quæ aduersæ hominibus eueniunt. Hanc rerum humanarum tolerantiam Cicero in lib. de Officijs 1. appellat rerum externarum despicientiam. Omnino, inquit, fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur. Quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur, vt persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum, decorúmque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere. Contemptione fortunæ.) Contemptionem à Cicerone sæpe, contemptum rarò dici inuenias. Contemnere autem & metuere contraria sunt. Fugitiuorum.) id est, seruorum improborũ, qui à dominis profugerunt, quales fuerunt ij qui cum Spartaco duce cum Romanis pugnantes sæpe vicerunt. Illa tum ciuitas.) Eo animo quo P. Clodius erat Trib. pl. Cicero ex vrbe eiectus furori Tribunitio cesserat. Resp. à Tribuno Clodio & à Coss. Pisone & Gabinio maximè vexata fuit, vt cùm alijs in locis multis, tum maximè in oratione pro Pub. Sestio Cicero scripsit. Hi autem Coss. vt in eadem oratione Cicero ait, ad delendum Senatum, affligendum Equestrem ordinem,

Contemptio.

extinguenda omnia iura atque instituta maiorum, se illis fascibus, cæterísque insignibus summi honoris atque imperij ornatos esse arbitrabantur. Nihil valebāt.) In codice antiquo scriptum est vacabant. Quum leges in ea nihil valebant.) Non hoc solū fecit Clodius eo anno quo fuit Tribunus pl. vt leges nihil valerent, sed etiam multas leges Reip perniciosas tulit, quas enumerat Cicero pro P. Sestio. Vbi idem scripsit legem AEliam & Fusiam à Clodio sublatam. Quum ferro pulsis magistratibus.) Quum 8. Calend. Februarij lex ferenda esset de reditu Ciceronis, P. Clodius multa de nocte forum, comitium, curiam armatis hominibus ac seruis occupauit, in Q. Fabritium & P. Sestium Tribunos pl. impetū fecit. Senatus nomen.) Nam authoritas Senatui detracta erat, à Tribuno & cōsulibus. Quinetiam consul Gabinius in cōcione dixerat errare homines, si etiam tum Senatum aliquid in Rep. posse arbitrarētur. Concursus.) id est, conuentus celeriter factus. Latrocinium.) id est, latrones: vt seruitia pro seruis, & ministeria pro ministris dicimus. Constitutum.) 8. Calend. Februarij. Reliquiæ coniurationis.) id est, reliqui ex coniuratione.

P. Clodij facinora.

A Catilinæ furijs.) Qui patriam incendere coniurauerat. Accersitus.) quum reuocatus sum. Cùm esset in Rep. consul.) P. Lentulus. Is enim cum Q. Metello consul anno proximo post Gabinium & Pisonem in senatum retulit de Cicerone reuocando. Itaque Cicero in oratione post reditum in Senatu eum appellat principem, parentem, deū vitæ suæ, fortunæ, memoriæ, ac nominis. Qui tum occiderat,) id est, eius nomen in Rep. non erat.

Esset consensus populi liberi.) id est, quum populus Rom. legem liberè tulisset vno consensu de meo reditu. Populi liberi.) qui Pisone & Gabinio Coss. liber nō fuerat, quē ad vestitum redire consules coegerant. Quæ vincula sunt.) vt in oratione pro A. Cluentio. Hoc, inquit, vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in Rep. Hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens & animus, & consilium, & sententia ciuitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege suis partibus, neruis, ac sanguine & membris vti non potest. Iactā & immissam.) Sumpta translatio est ab ijs, qui in inimicū aliquid iaculantur, quod inimicum non lædat quòd ad eum non perueniat. Quum parietes disturbabas.) quo die Cicero ex vrbe discesßit, P. Clodius domum eius, quæ in palatio erat, incendit, parietes disturbauit, vt eo in loco Deæ Libertatis templum ædificaret, tanquam Ciceronis exilium Romanæ ciuitati libertatem afferret. Ruere.) id ad disturbabas refertur, vt deflagrare, ad faces inferebas. Nihil neque meum est.) Stoici enim nullum bonum præter virtutem existimant, quæ eripi non potest. Constantiam.) id est, virtutē, quæ ideo mihi constans est, quia à natura est. Meas curas.) id est, meum studium, meum in Rēp. vt ita dicam, zelum. Huius.) id est, mei, quum Remp seruaui. Reditum mihi gloriosum, &c.) Antithesis est. Semper.) etiam quum aberam. Quum meam salutem Senatus.) Senatus literis consularibus salutem Ciceronis exteris nationibus commendauit.

Ciceronis domū Clodius euertit.

Non animo factísque.) Ciuis perniciosus hostis potius quàm ciuis habendus est. Itaque Cicero in prima Inuectiuarum in Catilinam, negat eos qui à Rep. defecerunt, vnquam iura ciuium Romæ tenuisse. Cædem in foro fecisti.) Quum Clodiani armati 8. Calend. Februarij, vt diximus, forum, curiam, comitium occupauerunt, tam multos fuisse ab his occisos Cicero dicit pro Sestio, vt corporibus ciuium Tyberis repletus, & cloacæ refertæ fuerint.

Ciuis perniciosus.

Templa tenuisti.) Templum Castoris intelligit, quod armatis hominibus & seruis Clodius occupauit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. Id autem Castoris templum pro foro iudiciali, vt contrà, forum pro eo templo sæpe dicitur. Priuatorum domos.) id est, meam domū. Inuidiose pluralē pro singulari ponit. AEdésque sacras incendisti.) Templū Nympharum Romæ à Clodio combustum fuisse scripsimus in Milonianam. Cur hostis Spar

Spartacus.

tacus.) A simili probat, P. Clodium hostem esse, non ciuem. Quo tempore L. Lucullus gerebat bellum cum Mithridate 74. gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, qui seruorum multitudine congregata magnum exercitum conflauerunt, cuius Chrysus & Spartacus duces fuerunt: à quo Romanus exercitus sæpe victus est. De eo T. Liuius libris 95. 96. & 97. Tuo nomine.) id est, quo nomine appellandus es. Suum enim exilium Cicero nunquam appellat. Meum illud iter.) id est, meus discessus. A me antè gestas) in opprimenda coniuratione & ciuitate seruanda. Nā propter coniuratos eos, de quibus vltimū supplicium in carcere sumpsit Cicero, abire coactus est, quòd indemnatos eos fuisse Clodius diceret, eos enim pop. Rom. non damnauerat. Cuius iniussu non licebat lege Sempronia de capite ciuis Romani supplicium sumere. Solum non mutauerunt.) id est, vrbem non reliquerūt. Exul autem quasi extra solum dicitur, quòd solum mutauerit. Vertere solum à Cicerone sæpe dici alio loco docuimus. Non appellatur inimicus.) id est, nunquid contra leges facit, & legibus damnatur? Qui cum telo fuerit.) Lege Iulia de vi publica tenetur, qui cum telo dolo malo in conuentu fuerit, aut vbi iudicium publicè exercebatur, vt author est Vlpianus lib. Digestorum 48. de vi publica. Eodem in loco Paulus scribit, telorum appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipi. Authore Caio Iurisc. lib. Digestorum 47. de furtis, teli appellatione, & fustis, & ferrum, & lapis, omne denique quod nocendi caussa habetur, significatur. Lege Cornelia de Sicariys teneri eum qui hominis occidendi caussa cum telo ambulauerit, Martianus scribit lib. Digestorum 48. ad legem Corneliam de Sicariys. Ante Senatum tua sica deprehensa est.) Authore Cicerone pro Milone, Comprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat: extorta est confitenti sica de manibus. Item paulò pòst, Insidiator in foro collocatus, atque in vestibulo ipso Senatus. Qui hominem occiderit?) Non appellatur inimicus, qui hominē occiderit? Qui hominem.) Is lege Cornelia de Sicariys tenetur, quēadmodum is cuius dolo malo incendium factum sit. Incendium quamuis dicatur sæpius, Incensio tamen in ea re nonnunquam dicitur. vt in oratione pro P. Sylla, Quinque hominibus comprehensis atque confossis, incēsione vrbem, internecione ciues, vastitate Italiam, interitu Remp. liberaui. Et lib. Inuectiuarum in L. Catilinam 3. Qui esset decimus annus post virginum absolutionem, post Capitolij autem incensionē, vicesimus. Ab incendio incēdiarium Vlpianus deflectit lib. 48. Digestorum, ad legem Corneliam de Sicariys: Si quis, inquit, dolo malo insulam meam exusserit, capitis pœna plectetur, quasi incēdiarius. Deflagrarūt.) Deflagrauit in codicibus aliys scriptum est melius. In foro.) id est, in templo Castoris. Etiam castra.) id est, non solùm Castoris templum armatis hominibus occupasti, sed etiam in eo castra posuisti. Familiarissimus tuus de te priuilegium tulit.) In codicibus aliys scriptum est, Familiarissimus tuus Cornificius de te priuilegium tulit. Is autem est Q. Cornificius, de quo Cic. lib. Epist. ad Atticum 1. Credo, inquit, te audisse, quum apud Cæsarem pro populo fieret sacrificiū, venisse eò muliebri indutum vestitu virum, idque sacrificium quum virgines instaurassent, mentionē à Qu. Cornificio in Senatu factā. Is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrū putes. Postea rem ex S. C. ad Virgines & Pontifices relatam, idque ab ijs nefas esse decretum. Deinde ex S. C. consules rogationem promulgasse. De hac Clodij de incestu caussa, quódque corruptis iudicibus absolutus sit, Plutarchus in vita Ciceronis plura scripsit. In opertum.) id est, in mysterium, in sacrificiū, quod Bonæ Deæ in domo Cæsaris consulis fiebat. Erat enim mos, vt quotannis in domo cōsulis Bonæ Deæ sacrificium pro populo Romano fieret. De hoc incestu P. Clodij, déque Bonæ Deæ sacris sæpe licet legere in Orationibus Ciceronis, & apud Plutarchum. In portu.) vt in exilium de-

Ciuem Rom. morte multare.

Mutare solum vertere.

Telum quid sit.

Incensio.

Incendiarius.

Q. Cornificius.

Opertum.

Bonæ deæ sacra

Ius ciuitatis tenere.

portareris. Eius loci ius tenebit.)id est, eius loci ciuis erit. Ius enim ciuitatis tenet is demũ, qui ciuis sit. Si ibi eum legibus, &c.) id est, si eius loci ciuis non fuerit.

BETVLEIVS. Apud Diogenem Laertium hoc παράδοξον verbis nõnihil immutatis effertur, πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι. Additur ratio: οὐ γὰρ φρονίμους εἶναι, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἴσην τῇ ἀφροσύνῃ μανίαν πράττειν. ἄφρονες sunt hîc, illic μωροὶ. idem ferè differũt, quod Latinis insipientes & fatui. quæ differentia perexigua est. Effertur etiam aliter ab ipso Cicerone in 3. Tusc. Q. ad Socratem authorem hoc paradoxon, vt cætera quoque, referente. Verba Cic. sunt: Ex quo intelligendum est, eos qui hæc rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod à Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes esse non sanos. Deinde exponit, quæ sit illa sanitas, neque id melius aut facilius potest, quàm vt sanitatis steresin (morbum videlicet) exponat. Qui enim, inquit, animus est in aliquo morbo (morbos autem perturbatos motus philosophi appellant) non magis est sanus, quàm id corpus quod in morbo est. Ita fit, vt sanitas sit animi, sapientia: insipientia autem, quasi insanitas quædam, quæ est insania, eadémq; dementia. Itaque Cicero fit sibi ipse interpres, quæ commodißima enarrãdi ratio est. Porrò si Maioragius rem seriam ageret, mirarer istius hominis temeritatẽ, quòd auderet inficiari hæc esse Socratica, cùm Socrates in altero Alcibiade manifestis verbis Alcibiadem in suam sententiam trahere conetur, vt credat, τὸ μαίνεσθαι ὑπεναντίον εἶναι τῷ σωφρονεῖν. vnde Ciceronem bonam istius Tusculanæ disputationis partem sumpsisse, Platonem cum Cicerone conferentibus obscurum esse non potest. Sed hæc interim de Cicerone me tenet admiratio, quòd ἑλληνικώτατος neget sibi constare, vnde Græci τὴν μανίαν appellitent, cùm hunc totum Platonis locũ in suam tertiã Tusculanam transtulisse videatur, vbi τὴν σωφροσύνην τῇ μανίᾳ ex opposito, Socratico more ponit. Omnes stultos insanire.) Hæc inscriptio quidem præ se fert θέσιν Stoicam: sed oratio est hypothesis, inuectiua aduersus Clodium: quem per syncresin secum conferens, stultitiæ insimulat, & ob id insaniæ quoque: se verò animo præsenti semper, & ob id etiam sapientem. Nam hæc paßim toti aspergit causæ, sed verbis latentibus. Versatur autem oratio maiori ex parte in statu finitiuo. Excutitur enim hîc, quis ciuis, quid ciuitas: illic, quis exul, quid exilium. Deinde τὸ κρινόμενον vtrinque amplificat. Argumentum autem totius orationis, est tale: Ægritudo est non stultitia modò, sed etiam insania: Atqui odium Clodij: & res furoribus impellentibus gestæ, sunt ægritudo: Ergo Clodius non stultus modò, sed etiam insanus.

Ego verò.) Irrumpit etiam in hanc causam sine exordio, propositione satis aspera & vehementi. Non improbum vt.) Sic pro Domo sua, Clodium non bipedum solùm, sed etiã quadrupedum impurißimum nominat. Cæterũ Clodio, ab initio in turbis Catilinarijs cum Cicerone magna consuetudo fuit. odium inde natum, quòd testimonium contra eum dixerat, cũ muliebri veste in nocturnis sacris fuisset in ædibus Cæsaris deprehensus. Historiam diligenter congesserunt, qui orationem Milonianam commentarijs illustrarunt, non ex Plutarcho modò, sed ex ipsius Ciceronis monumentis: vt ex ipsa Miloniana, item ex illa quam in Pisonem, quam pro Sestio, item quas ante & post exilium ad Equites & Quirites, & maximè illa quam pro Domo ad Pontifices habuit: item ex quibusdam epistolis ad Q. fratrẽ, & ad Atticum scriptis. Addicam.) Furiosi siquidem & mente capti addicebantur agnatis & gentilibus, lege 12. Tab. Quæ est enim ciuitas.) A definitione. Ciuitas est eorum qui legibus obtemperant. Cic. Off. 2. & de Som. Scip. Ciuitates dicuntur, concilia & cœtus hominum iure sociati, πολιτεία, ἡ κοινωνία πλήθους ἔννομος. Plato de Legib. 6. πᾶσα δήπου πόλις, ἄπολις ἂν γίγνοιτο, ἐν ᾗ δικαστήρια μὴ καθεστῶτα εἴη κατὰ τρόπον. Atque rursus idẽ Plato alibi: πολιτεία ἀνατροφὴ ἀνθρώπων ἐστι, καλὴ μὲν ἀγαθῶν, μὴ καλὴ δὲ κα-

κῶν. καὶ ὁ πυθαγόρας τὴν πόλεων ἐκείνην εἶπεν ἀρίστην, τὴν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἔχουσαν.

Cùm leges in ea.) Lex enim Helia, Fusiáque post centesimum annum euersa est, propugnacula muríque tranquillitatis atque ocij. Cicero in Pisonem. Iudicia iacebant.) Nam vetus illa magistra pudoris & modestiæ, seueritas Censoria sublata est, Pisone Gabinioq; Coss. CCCC. postquam cœperat annis. Cicero in eundem Pisonem. Prædonum ille concursus.) Audiamus & hîc Ciceronem in Pisonem perorantem: Delectus seruorum habebatur ab eo, qui nihil sibi vnquam nec facere, nec pati turpe esse duxit. Arma in templo Castoris, ô proditor templorum omnium, vidente te constituebantur, ab eo latrone, cui templum illud fuit, te Cos. arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellũ forensis latrocinij, bustum legum omnium ac religionum. Neque enim melior interpres Ciceronis, quàm ipse sui ipsius. Et reliquiæ coniurationis.) Ait enim Cicero, eo tempore quo pulsus in exilium fuit, nec Remp. fuisse vllam, nec consulẽ. Siquidem consul dicitur, eò quòd Reip. saluti consulere debeat. Sed hoc nec Pisonem fecisse, nec Gabinium. Cicero suum consulatum cum Pisonis consulatu longa comparatione confert. Inter Clodium & Catilinam nullam differentiam fuisse, Clodium autem perniciosissimum ciuem, ipsos consules iuuisse, in ea oratione ostendit his verbis: Quid, inquit, interfuit inter Catilinam & eum cui tu Senatus authoritatem, salutem ciuitatis, totam Remp. prouinciæ præmio vendidisti? Quæ enim L. Catilinam cœnantem Cos. prohibui, ea P. Clodium facientem consules adiuuerunt. Voluit ille Senatum interficere, vos sustulistis: leges incendere, vos abrogastis: interire patriam, vos adiuuistis, &c. Cùm esset in Repub. consul.) Te fuiße Romæ consulem, dicere audebis. Quid? tu in lictoribus, in toga, in prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te consule esse voluisti: huius tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? Animo consulẽ esse oportet, cõsilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus, omni officio. Ego consulẽ esse putẽ, qui Senatum esse in Rep. nõ putauit? & sine eo consilio Cos. numerem, sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? &c. cætera, quæ in eadem oratione, in hanc sententiam grauiter simul copioseq; scripta sequuntur.

Cùm esset in Repub. consul.) Consul dicit in singulari, per enallagen numeri. Nam in ea oratione, quam post reditum suum in Senatu habuit Cicero, vtrique consuli, Lentulo nimirũ & Metello, atque cum his Pompeio quoque Senatus principi, sui reuocationem clarißimo præconio fert acceptam: in qua oratione plurima sunt, quæ huc adijci poterant, ni breuitatis studium me retraheret. Satius fuerit studiosum adolescentem illas orationes euoluere. nã sic præter alios complures fructus, vel historia ipsa, totũ nque negotiũ animis illorum penitius insculpetur. Atque ex his quoque testimonijs conuincitur, vt legamus, Cùm esset, non, Vt esset in Rep. consul, &c. Quæ vincula sunt) Pro Cecinna, ius ciuile vincula vocat, nõ modò iudiciorum, sed etiam vitæ societatísque communis. Repetita memoria.) Renouata, quæ obliterata & antiquata fuerat. Iactam & immissam.) Mediolanensis editio habet, latam. Illatam, fortè legi posset. Est hoc Stoicum, qui credunt, nihil sapienti nocere, ne fortunam quidem posse. Nefariam iniuriam.) Damnum datum apud Iureconsultos iniuriæ species est. Culpa Latinis: Græcis, teste Iustiniano, ἔγκλημα. Parietes.) Domum & villas Ciceronis combusserat Clodius, quæ Senatus iussu ære publico instaurata fuerunt. Quas domus Clodius demolitus sit, narrat Attico Cicero, lib. Epist. 4. epistola quæ incipit, Auere te scio. Nihil enim meum est.) Est enim hoc Stoicum, vt suprà in Biantis exemplo intelleximus. Nam secundum Epictetum, quædam in nobis sunt, quædam non sunt in nobis. In nobis esse dicit, quæ nostra sunt opera, ὑπόληψιν, ὁρμὴν, ὄρεξιν, ἔγκλισιν: non in nobis esse, quæ non sunt nostra opera, τὸ σῶμα, τὴν κτῆσιν, δόξας, ἀρχάς. de quibus opinor

in Officijs. Mentem.) Quam se accepisse à dijs immortalibus dicit, Catil. 3. Exteris nationibus.) De quo Plutarchus & ipse Cicero abundè in oratione post reditum in Senatu habita. & eas ciuitates, quæ ipsum fouerant, Senatus ornauit laudibus. Nisi idem hostis.) A contrarijs. Hostis larga significatione hoc loco nō eum significat, cui vel bellum publicè indictum, vel qui bellum Reipub indixerit, quem veteres perduellionem vocabant: sed eum qui tranquillitatem Reip. contra ius & fas, contráque leges conturbat, qua significatione hoc vocabulo Cicero sæpe vtitur. Templa tenuisti.) Castoris & Pollucis, vt paulò superiùs ex oratione in Pisonem annotauimus. AEdes sacras.) Templum nimirum Nympharum. Lege multa huc pertinentia, in oratione pro Pub. Sestio, quæ instituta breuitas memorare non permittit. Cur hostis Spartacus.) Aduersus quem tu rem ad Vesuuiū montem parum feliciter gessisti, delusus nimirum ab obsesso, & in fugam actus. Spartacus, inquam, de stipendiario Thrace, vt Flori verbis vtar, miles, de milite desertor, deinde latro, deinde in honore virium gladiator. Nam neque illud bellum iure gētium gestum est, in quo nulli feciales, nulli patres patrati extitere. De bello Spartaco nemo plenius, quàm Plutar. in Crasso. Crassus enim hoc bellum confecit. Obserua argumentum ab exemplo pari.

Nescis exilium.) Cicero pro suo arbitrio Exilij nomine vtitur, abutitúrque. Triplicem nominis significationem apud Romanum hunc oratorem inuenio. Quoties ad ipsum adtinet hoc vocabulum, innocentiā quandā præ se fert. Ita suprà in paradoxo 2. aduersus Antonium dixit, Exilium ijs esse terribile, quibus quasi circunscriptus est habitandi locus: non ijs qui omnem orbem, vnam vrbem esse ducunt. Quo loco Cicero (vt hoc obiter moneam) ad differentiam Exiliorum respexisse videri posset. nam Martianus Iureconsultus in l. 5. ff. de interdict. & releg. exilium triplex esse dicit: aut cùm est certorum locorum interdictio: aut lata fuga, quale Ciceronis exilium, excepta culpa, fuit: aut insulæ vinculum, id est, relegatio in insulam. In illo Ciceronis loco res ipsa nomine quidē, sed ignominia & miseria exuitur. In hoc verò loco res & nomine priuatur, & ignominia. Nam iter nominat, sicut in 5. Tuscul. peregrinationem, μείωσα seu extenuatione pulchrè verecunda, vbi multa multorū philosophorum sua sponte solū vertētium exempla numerat. Verùm pro Domo sua, Exulis nomen per se calamitatis quidem esse dicit, turpitudinis nō itē. E diuerso pro A. Cecinna, Exilium non supplicium, sed profugium portúmque supplicij nominat. Hîc & nomen remanet, nec ignominia caret exilium, in quod causæ suæ diffidentes se coniiciunt: nec miseria prorsus abest, vbi inter duo mala, quod minus incommodum est, eligitur. Cæterùm de voluntario exilio, lege Budæum in Annotationibus posterioribus, super eo loco, quem paulò superius ex Martiano adduximus. Etiam si solum non mutatur.) vertitur: quod Græcis est μετανασεύειν, μετοικίζεσθ. Priori verbo demigrandi verbum Morisotus reddidit. Vide etiam de hoc Budæum, loco iam paulò superius citato. Matthæus Babylonicum exilium μετοικεσίαν appellauit, quod mitius est quàm αἰχμαλωσία. Non appellatur inimicus.) Subiectionis elegantissimæ simul & potētissimæ paradigma, siue schema dicas, siue amplificandi rationem. AEdes Nympharum.) Hoc facinus inter reliqua Clodij scelera numeratur à Cicerone pro Domo sua. Communes leges.) Generales leges, quibus præiudicant leges singulares. Clodius nescio quot senatusconsultis confossus fuit, vt alicubi Cicero testatur. iam etiam lege singulari, exilio multatur, & quidem ab amico. Bonæ Deæ.) Quam Græci γυναικείαν nominant. Phryges domestici, Midæ regis matrem fuisse dicunt: Romani nympham δρυάδα, Fauni coniugem: Græci aliquam ex Liberi matribus, τὴν ἄρρητον, id est, quam nominare nefas sit. Huius sacra ita à Romanis mulieribus agebantur, in alicuius vel prætoris, vel consulis domo, absente tamen marito. Ea itaque cùm apud Pom-

peiam Cæsaris coniugem agerentur, Clodius veste muliebri deprehensus in istis sacris in domo Cæsaris fuit, quæ res penè scribitur à Plutarcho in Cæsare, & Cicerone. Quòd Bonæ deæ puluinaribus stuprum intulerit, exprobratur illi etiam à Cicerone in oratione de Aruspicum responsis, & in Pisonem. Ad Atticum lib. 1. Epist. cum aliquot ordine sequentibus, vbi etiam Cornificij mentio fit. In Ponto.) Suscribo Morisoto. Interim obserua argumentum à relatiuis ductum, nempe ab actionibus voluntatis.

Ὅτι πᾶς ἄφρων.

INNOMINATVS. Omnes stultos.) Beatitudo est in animi tranquillitate, atque est ea animi sanitas: Perturbatio verò quæ est animi morbus, est quæ in omnibus stultis insania à Stoicis appellatur, quasi tu dixeris, animi insanitatem. sic loquitur Cicero in principio tertij Tuscul. estque geminus intellectus huius paradoxi. Ego verò.) Paradoxum totum tractatur hypotheticè per contemplationem duarum personarum & rerum gestarum. Initio acriter petit Clodium, vtitúrque gradatim correctione ad augendum. Cæterùm est id notum, stultum non esse vsurpatum more Stoico, sed inducitur postea insanus: quod vulgò plus significat, quàm stultus. quanquam bellè accipi poterit ex opinione Stoica.

Rebus addicam.) In vetusto codice legitur rebus ad victum necessarijs, vt fortè legendum sit conuincam. Certè locus esse corruptus videtur. Tolerantia rerum humanarũ.) Propositionem assumit comparatiuam, addítque sapientis descriptionem à virtutibus: & quoniam acturus erat de exilio, in cuius cõtemptione est fortitudo potißimùm, sapientem describit à tribus fortitudinis officiis. Quæ est enim ciuitas.) Argumentatur ex definitione ciuitatis, quam tamen non expreßit, sed ex repugnantibus ostendit. Clodius autem cùm Ciceronem vrbe pelleret, exercitum secum habuit gladiatorũ & seruorum. Cùm ferro.) Vehemens est conclusio à factis Clodij, qui omnia in Tribunatu per vim agebat, ac Legẽ Heliam Fusiam de obnunciatione sustulerat, cúmque de Ciceronis reditu ageretur, Sestiũ trib. pleb. armatis hominibus eiecerat. Pulsus ego.) Argumentũ est ductum ab his rebus quæ ciuitatem efficiunt: addítque comparationem, ex qua colligit inuersionem, sed exulem se non fuisse, cùm ciuitas non foret. At vide.) Syllogismum contexit more oratorio, conturbatis partibus. Nam primo loco est conclusio, mox assumptio, postremò propositio: quæ sumpta est à dogmate Stoico, Quòd nihil sit bonum, nisi honestum. Aut cùm tectis.) Clodius Ciceronis exulis villas omnes incendit, domúmque cremauit, in qua posteà cõstruxit Licentiæ templum. Si mihi.) Argumentatio est hypothetica ab Antecedentibus. Enumerat autẽ vera bona quæ sunt in animo, nec possunt hæc mancipari nec detrahi. Ergo ego semper.) Vtitur cõplexione, & disputationem conuertit in Clodij personam: quem, etsi semper est in ciuitate, exulem tamen esse docet. Estque allusio ad aliud Stoicorum paradoxum, Quòd sapiens nunquã sit exul, stultus verò semper exul. Prius Senatus Ro. literis consularibus, exteris nationibus salutem Ciceronis cõmendauit, ac Pompeius municipia circuiuit, vt eorum fauore ad reditum Ciceronis vteretur. Cædem in foro.) Cùm ageretur de reditu Ciceronis, tanta cædes facta est à Clodio, vt oppleretur Tybris, opplerentur vici cadaueribus, inter cadauera Q. Cicero lateret. Cur hostis Spartacus.) Argumentatur ab hostis definitione, per cõparationem à pari: estque vsus opportuno exemplo. Nam Spartacus seruorum exercitum habuit & gladiatorũ. Mox Clodium hostem esse ostendet & à factis. Nescis exilium.) Argumentum est à causa. Ciues enim Rom. cùm peccauerant grauiter, ex lege Portia in exilium mittebãtur. Addit extenuationẽ vocabuli, vt se exulem neget. Omnes scelerati.) Epicherema est, cuius partes sunt inuersæ. Etenim primo loco ponitur assumptio, mox subnectitur propositio maior. Argumenti vis est à volũtate legis. Non appellatur.)

A factis Clodij quæ legibus vindicantur, Clodium exulem esse probat. vtque sit maior argumenti contentio, enunciatur per subiectionẽ, id est interrogando & respondendo. Sica.) Clodius seruum collocauerat in foribus curiæ qui Pompeium necaret: estque seruus cum sica deprehensus: tenetur ergo Clodius lege Cornelia de Sicariis. Ædes Nympharum.) Lex Cornelia quoque punit incendiarios. Erat autem Romæ templum Nymphis cõstitutum, vt arcerent incendia, ac in earum templo multa asseruabantur monumenta publica. Familiarißimus de te.) Syllogismus est integer, cuius argumentũ ducitur à lege Cornificij, & cõfeßione Clodij. Cæterùm opertanda, & operta, & seclusa Latini sacra vocant, quæ sunt arcana, dicuntúrque à Græcis mysteria.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. Omnes sapientes liberos esse, & stultos omnes seruos.

PARAD. V.

LATOM. Incipit ab hypothesi, & hinc ad sententiam thematis progreditur. Designat autẽ M. Antonium Triũuirũ, in quem hoc paradoxo tacitè inuehitur, negans hũc propter intẽperãtiam et cupiditatẽ liberum esse. Locus est ex adiacentibus personæ, & caußis seruitutis.

Profert authoritatem doctorũ, & pbat quod dixit. Sed occupatione præmunit aditum ad sententiæ expositionẽ, quòd hac thema principale comprehendatur: præsumit deinde verbum, & exponit sententiam, & confirmat à definitione libertatis, quam pluribus verbis exprimit.

LAudetur verò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. Quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrænet primus libidines, spernat voluptates, iracũdiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cùm ipse improbissimis dominis dedecori, ac turpitudini parêre desierit. dum quidem his obediet, nõ modò imperator, sed liber habendus omnino non erit. Præclarè enim est hoc vsurpatum à doctissimis, quorum authoritate non vterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habenda esset oratio: cùm verò apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita non sunt, cur ego simulem me, si quid in his studiis operæ posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis viris, Nisi sapientem liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas viuendi, vt velis. Quis igitur viuit vt vult? nisi profectò qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuẽdi via considerata atque prouisa est, qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maximè esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter ac liberè: cuius omnia consilia, résque

omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodémque referuntur: nec est vlla res quæ plus apud eum polleat, quàm ipsius voluntas atque iudicium? cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit, Suis quisque fingitur moribus. Soli igitur hoc cōtingit sapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolés, nihil coactus. Quòd & si ita esse pluribus verbis disserendum est, illud tamen breui conficiendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur omnes improbi, serui: nec hoc tam re est, quàm dictu inopinatum, atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse seruos, vt mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: sed si seruitus sit, sicut est, obediētia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil audet? poscit, dandum est: vocat, veniendum: eiicit, abeundum: minatur, extimescendum. Ego verò istum non modò seruum, sed nequissimum seruum, etiā si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque vt in magna familia stultorum, sunt alij lautiores (vt sibi videntur) serui, sed tamen serui, atrienses aut topiarij stultitiæ tuæ, sic quos signa, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. Ex summis, inquiunt, ciuitatis principes sumus. Vos verò ne conseruorum quidem vestrorum principes estis. Sed vt in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui vngunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenēt: sic in ciuitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderūt, ipsius ciuitatis locum penè infimum tenent. Magna, inquis, bella gessi: magnis imperiis, & prouinciis præfui. Gere igitur animū laude dignū. *Echionis tabula te stupidū detinet, aut signum aliquod Polycleti. Omitto vnde sustuleris, & quo modo ha-

*Conclusio, solū sapientem liberum esse. Et huic mox subiungit antithesin ex contrario, omnes improbos esse seruos: quod pluribus verbis persequitur vsque ad finem. Exponit nomen seruitutis, & inde mox ducit argumētum ex vi nominis, & rei definitione, omnē impotentiam fracti animi seruitutē esse, ac proinde omnes cupidos et intemperantes seruos. Argumentum confirmatur ex moribus intemperantium, quæ sunt adiuncta, & signa seruitutis, eóque loco redit ad Antoniū Epiphonema, quo claudit sententiam, & mox inde ducit similitudinem, qua rē declarat. Occurrit obiectioni, quam rursus similitudine declarando refellit. Alia obiectio, quam tacitè dimouet è proposito, & ex repugnantibus dissoluit. Repugnant enim, cupidum vlius rei, & liberum esse. *Actæonis.*

beas. intuentem te, admirantem, clamores tollentem cùm video, seruum te esse ineptiarum omnium iudico. Nónne igitur sunt illa festiua? Sunt. nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non vt vincula virorum sint, sed vt oblectaméta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissimè tractantem, cùm ipse totam Corinthum contempsisset, vtrum illum ciuem excellétem, an atriensem seruum diligétem putaret? Reuiuiscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit prçter ipsos: & videat aliquem summis populi beneficiis vsum, barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murenarum copia gloriantem: nónne hunc hominem ita seruum iudicet, vt ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? An eorũ seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis? Hæreditatis spes, quid iniquitatis in seruiẽdo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? loquitur ad voluntatem: quicquid denunciatum sit, facit, assentatur, assidet, miratur. Quid horũ est liberi? quid deniq; non serui inertis? Quid iam illa cupiditas (quæ videtur esse liberior) honoris, imperij, prouinciarum? quàm dura est domina, quàm imperiosa, quàm vehemens? Cethego homini non probatissimo seruire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur, mittere munera, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quæ seruitus est, si hæc libertas existimari potest? Quid? cùm cupiditatum dominatus excessit, & alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor: quàm est illa misera, quàm dura seruitus? Adolescentibus paulò loquacioribus est seruiendum: omnes qui aliquid scire videntur, tanquam domini timentur. iudex verò quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? an non est omnis metus seruitus? Quid valet igitur illa eloquentissimi viri L. Crassi copiosa magis quàm sapiens oratio? Eripite nos ex seruitute. Quæ est ista seruitus, tam claro homini támque nobili? Omnis enim animi debilitati & humilis & fracti

Occupatiõe præscribit temperantiã voluptatib⁹ adhibendã esse, & exẽplis confirmat, quæ vim testimoniorum obtinent.

Mullus piscis genus, haud absimile ei quẽ barbum vocãt. Murenã docti quidam sturionem vocant.

Loquitur de auaris, quos & ipsos seruos esse confirmat.

Probat ab incõmodis.

Probat idem de ambitiosis, hos quoq; seruos esse. Mox idẽ metu & cõscientia ostendit. ducit enim ordinẽ inductionis cũdo per species, et ex his vniuersæ stultitiæ seruitutem colligit.

Seruitutes ex conscientia.

Adolescẽtes dicit, qui malos ciues accusabant.

Probat ex Crassi testimonio, & verba ex oratione eius proferẽs illum tanquam timidum reprehendit.

timiditas, seruitus est. Nolite sinere nos cuiquam seruire. In libertate vindicari vult? Minimé. Quid enim adiungit? Nisi vobis vniuersis. Dominum mutare, non liber esse vult. Quibus & possumus, & debemus. Nos verò, si quidem animo excelso & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu posse te dicito, quandoquidem potes. debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat quomodo Imperator esse posit, cùm eum ne libertum quidem esse, ratio, & veritas ipsa conuincat.

Facit dialogismum & verbo ex oratiõe Crassi proferens eius querelam reprehendit.

Redit ad Antonium, & abruptè concludit.

SYLVIVS. Hoc paradoxum Stoicorũ esse testis est etiam Diogenes Laertius lib. 7. Stoici, inquit, dicunt solum sapientem liberum esse, improbos autem seruos. Libertatem enim operandi esse potestatem, qua stulti & improbi omnino careant. Esse autem sapientes non modò liberos, sed etiam Reges. Authore Cicerone lib. de Oratore 3. Stoici dicunt omnes qui sapientes non sunt seruos esse, latrones, hostes, insanos.

Laudetur verò hic Imperator.) In M. Antonium hoc dictum videri potest. Sed potius sit communis locus, vt siue Imperator quidem, qui sapiens non est, liber sit, alios non esse liberos ostendat, qui sapientes non sint. Libero.) Antiquo iure Romanorum seruis militare non licebat. Itaque secundo bello Punico post pugnam Cannensem inopia liberorum hominum, octo millia iuuenum validorum ex seruitijs prius emerunt, & libertate donauerunt, quàm armauerint, vt est apud T. Liuium libro 22. Authore Martiano Iurisconsul. lib. Digest. 49. de re militari, Ab omni militia serui prohibentur, alioqui capite puniantur. Imperator igitur nisi liberis non imperat, sed ne ipse quidem Imperator esse potest, nisi liber sit. Nam nemo Imperator est, qui magistratus non sit, magistratus autem solis ciuibus mandatur. Qui non potest cupiditatibus suis imperare.) Lactantius libro diuinarum Institutionum primo, Herculem fuisse fortem negat, quòd cupiditatibus suis imperare non potuerit. Non, inquit, fortior iudicandus est, qui leonem, quàm qui violentam, & in seipso inclusam feram superat iracundiam: aut qui rapacißimas volucres deiicit, quàm qui cupiditates auidißimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui fimũ de stabulo, quàm qui vitia de corde suo egerit. Quæ magis sunt perniciosa, quia domestica & propria mala sunt, quàm illa quæ poterant vitari & caueri. Ex quo fit, vt ille solus vir fortis debeat iudicari qui tẽperatus est & moderatus & iustus. Quòd solus sapiens liber sit, scribit Cicero in lib. de Finib. 3. Quàm grauis, inquit, quàm magnifica, quàm constans conficitur persona sapientis? Qui cùm ratio docuerit, quod honestũ esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, veréque omnia ista nomina poßideat, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur Rex, quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. Rectius magister populi (is enim est Dictator) quàm Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis, magister fuit. Rectius diues, quàm Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli caussa transire voluisset. Rectè omnia dicentur eius qui scit vti solus omnibus. Rectè etiam pulcher appellabitur. Animi enim lineamenta sunt pulchriora quàm corporis. Rectè solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, nec obediens cupiditati. Rectè inuictus,

Serui ne militẽt

Hercules an fortis.

Sapiens liber.

cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula iniici nulla possint. Teneat.) id est, cohibeat & refrenet, ne quid per iracundiã turpiter faciat. A doctißimis.) Stoicis. Alioqui doctißimos homines appellat poetas. Vt pro Milone, Non sine causa fictis fabulis doctißimi homines memoriæ prodiderunt, &c. Potestas viuendi vt velis.) Eadem sententia perscripta est in lib. de Offic. 1. Vixerunt nonnulli in agris delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod & regibus, vt ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate vterentur, cuius proprium est, sic viuere vt velis. Viuere autem vt velis, non est, vt vulgò persuasum est, viuere in lustris & ganeis sine cuiusquã metu, sed id honestam quandam viuendi rationem præ se fert, vt hoc loco docet Cicero. Officio.) id est, honesto, eo scilicet quod efficere debeat. Via.) id est modus. Non propter metũ.) Authore Cicerone pro A. Cluentio, Legum idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse poßimus. Liberè.) id est, nulla cupiditate suadente aut cogente. Ab ipso.) id est ab ipsius animo, nõ à cupiditatibus. Quæ vim habere maximam dicitur.) Fortuna est domina rerum & externarum, & ad corpus pertinentiũ, vt ait Cicero in libro Tusculanarum quæstionũ quinto. Qui in libro de Offic. 2. magnam vim esse in fortuna dicit, in vtranque partem, vel secundas ad res, vel aduersas. Nam & quum prospero flatu eius vtimur, ad optatos exitus prouehimur: & quum reflauit, affligimur. De vi fortunæ, quia alij multi scriptores tradiderunt, illud solum ascribamus, quod est apud Plinium cap. 7. lib. 2. Toto, inquit, mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus fortuna sola inuocatur, & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur. Volubilis à plerisque, & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorúmque fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtranque paginam facit. Fortuna ipsa cedit.) Nihil enim bonum nisi virtutem sapiens existimat. virtus autem nullum habet cum fortuna commercium, quin potius virtuti fortuna cedit, igitur & sapienti. Id adeò verum est, vt Metrodorus Epicureus (quoniam sine virtute beatè viui posse Epicurus negabat) illa dicat apud Ciceronem libro Tusculanarum quæstionum 5. Occupaui te fortuna, atque cepi, omnésque aditus tuos interclusi, vt ad me aspirare non posses. Sicut sapiens poeta.) Hunc arbitror esse Appium, de quo Sallustius in oratione ad C. Cæsarem de Repub. ordinanda, Res, inquit, docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, Fabrum esse quenque fortunæ. Suis quisque fingitur moribus.) non autem fingitur fortunæ. Nam fortunæ suæ quisque faber est. Suam quisque fingit fortunam. Igitur sua cuique, præsertim sapienti, fortuna cedit. Conficiendum.) id est concludendum. Non enim ita dicunt eos esse seruos.) Quòd omnes improbi serui sint, non sunt serui, vt qui à dominis empti sunt. Illi enim sunt serui animo, hi autem serui corpore. Et quantò animus corpore excellentior est, tantò illorum quàm horum seruitus grauior est.

Legibus seruire. *Fortunæ vis.*

Facta nexu.) Nexus erat quædam iuris solennitas, quæ in rerum abalienatione fieri solebat. Caij iuriscon. de nexu faciendo illa verba sunt, Est, inquit, mancipatio imaginaria quædam venditio, quod ipsum ius proprium est ciuium Romanorum. Eáque res ita agitur, adhibitis nõ minus quàm quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit, Ego hunc hominem ex iure Quiritum meum esse aio, ísque mihi emptus est huius ære, æneáque libra. Deinde ære percutit libram, ídque æs dat ei à quo mancipium accipit, quasi precij loco. Nulla autẽ res lege duodecim tabularũ aliter nisi per hanc solennitatem abalienari poterat. Aut aliquo iure ciuili.) Aliis enim multis modis seruus habebatur, vt est apud Quintilianum libro quinto. Nam etiam seruus erat aut verna,

Nexus quid *Seruus habetur multis modis.*

aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus. Si seruitus est.) de seruitute animi non corporis intelligit. Leues.) id est viles, nec vllo honore dignos. Id enim leuis authore Gellio significat. Cui mulier imperat.) Libidinosos homines & mulierosos negat esse liberos, quòd cupiditatis caussa mulieribus seruiant. Quemadmodum de Hercule scripsit Quintilianus libro tertio, Quòd cum Regina Lydiæ Omphalæ vestitum mutauerit, & imperata pensa tractauerit. Quod amplius scripsit Diodorus Siculus libro quinto.

Nequißimum seruum.) Nequam dici, quasi nequicquã, extracta media syllaba, eúmque nequam esse, qui neque rei, neque frugis bonæ sit, est apud A. Gellium lib. 7. Etiam si in amplißima familia natus sit.) id est, quanuis amplißimis & nobilißimis parentibus natus sit. In magna familia stultorum.) Fortasse seruorum, non stultorum legendum sit. Nam Oscorum lingua Famel seruus dicitur, vnde familia vocata est. vt author est Sex. Põpeius, quanuis idem paulò antè scribat familiã antea in liberis hominibus dici solitam. Inde patrem & matrem familiæ postea hoc nomine famulos appellatos. Romani veteres, vt ait Macrobius lib. Saturnalium primo, omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum Patremfamiliâs: seruos, familiares appellauerunt. In seruorum autem familia aliud aliorum officium est. Sed qui fideliores, honoratiores, lautiores erant, hi Atrienses appellabantur, quòd in atrio dominorum diuitias, signa, tabulas, imagines maiorum custodirent: quemadmodum qui erant viliores, & abiectiores, Mediastini dicebantur, quòd in medio stantes parati essent ad omnium imperia. Veluti in domibus nobilium sunt magistri, qui vulgò appellantur famuli per cortem. Nonnullis autem in ciuibus Romanis tam magnæ seruorum familiæ fuerunt, vt M. Crassus authore Plutarcho in eius vita ad quingentos seruos fabrilis artis & architecturæ peritos emerit. Ac tu pari stultitia, quos signa, &c.) Si emendata lectio est, sententia est, Tu es simili stultitia, atque sunt serui Atrienses, quos signa, aliáque quæ ipsi in atrio custodiunt, delectant. Cælatum argentum.) id est, vasa aliáque opera argentea cælata. Corinthia opera.) id est, ex ære Corinthio facta. Æris Corinthij tria sunt genera, authore Plinio cap. 2. lib. 34. Vnũ candidum argento nitore quàm proximè accedens. Alterum in quo auri fulua natura. Tertium in quo æqualis omnium temperies fuit. Eodem authore capite octauo eiusdem libri, Si signis, quæ Corinthia vocant, plerique intantum capiuntur, vt secum circunferant. Sicut Hortensius Sphingem Verri reo oblatam, Nero Amazonem, & paulò antè C. Sestius signum, quod secum etiam in prælio habuit. Ex summis, &c.) id est, nos nati ex summis ciuitatis. Summi principes, id est, primarij ciues. Nec seruorum.) conseruorum alij legunt, vt cohæredes & condiscipulos dicimus. Qui tractant ista) Hi autem serui mediastini sunt. Ista.) id est signa, tabulas, & cætera, quæ in atrio asseruantur. Qui vngunt.) vt magis niteant, & ne rubigo aut ærugo incommodum afferat. Magnis imperiis.) vt præturæ aut consulatui, aut exercitui. Actæonis.) Echionis legendum est. Plinius cap. 7. libri 35. Clarißimos illos pictores nominat, Apellem, Echionem, Melanthum, & Nicomachum, quorum tabulas singulas opibus oppidorum vænisse dicit. Eodem authore cap. 10. eiusdem libri, Illæ sunt Echionis picturæ nobiles, Liber pater, Semiramis ex ancilla regnum adipiscens, Anus lampadas præferens, & noua nupta verecundia notabilis. Aut signum aliquod Polycleti.) Polycletus Sicyonius nobilis fuit statuarius, in faciendis signis ære Deliaco vsus est. Multa eius opera, Plinius cap. 8. lib. 34. enumerat. Huius signa nonnulla esse in atrio Titi imperatoris dicit, quo opere nullum absolutius plerique iudicant. Sustuleris.) id est, iniustè acceperis. Clamores tollentem.) Id in magnæ rei alicuius admiratione fieri solet. Ineptiarum.) id est, rerum ineptarum, vt tabu-

Famel. *Atriẽses serui.* *Mediastini serui.* *Corinthium æs.* *Conserui.* *Echion pictor.*

larum, signorum, aliorúmque eiusdem generis. Nónne igitur, &c.) Hoc poßit obiicere quisquam, quem signa, tabulæ, & cætera delectent. Ei Cicero respondens, Sint, inquit. Nam nos quoque, &c. Festiua.) id est, pulchra & iucunda, qualia sunt ea quæ festis diebus delectant. Eruditos.) id est, qui pulchra re, venusta & artificiosa oblectentur.

L. Mummius. Corinthus euersa. Victoria quantum noceat. Peregrinorũ mores nosse.

Non vincula virorum sint.) id est, viros non faciant seruos. Si L. Mummius.) L. Mummius consul omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex Senatusconsulto diruit, quia ibi legati Romanorum violati fuerant. Signis tabulísque vrbem Romam repleuit. Isque primus tabulis externis authoritatem Romæ fecit. Eius victoria mores populi Romani ad Corinthia & tabulas pictas inclinauit, vt L. Scipionis, & Cn. Manlij ad cælatum argentum, & vestes attalicas, vt Põpeij Magni de Mithridate ad margaritas gemmásque. Abstinentißimum virum egit Mummius in vrbe diruenda: nihil enim ex ijs opibus ornamentísque, quæ prædiues Corinthus habuit, in eius domum peruenit, vt è vita ipse excesserit non relicturus filiæ dotem. Authores sunt Plinius cap. septimo, lib. 34. cap. quarto, lib. 35. & cap. primo, lib. 37. & T. Liuius lib. 52.

Matellio. Trulla.

Matellionẽ.) Matellio, vt ait Sext. Pompeius, vas vrinæ est, authore Plinio cap. secundo, lib. 34. Vasa Corinthia sculptores transferunt modò in lucernas, modò in trullas, nullo munditiarum respectu. Trullam autem pro vase stercorario accipiunt. Totam Corinthum.) id est, totam Corinthi prædam. Quæ tanta fuit, vt vnam Aristidis tabulam Liberum patrem continentem Rex Attalus à L. Mummio sex millibus sestertiûm emerit, vt ait Plinius cap. 4. lib. 34. Diligentem.) quòd Matellionem diligenter tractaret. M. Curius.) De hoc dicemus paradoxo proximo.

Consulatus.

Videat aliquem.) vt L. Philippum, Qu. Hortensium, Licinium Murenam, L. Lucullum.

Summis populi beneficijs vsum.) id est virum consularem. Consulatus enim summus erat Romæ magistratus. Is autem populi Romani suffragio mandabatur. Id autem suffragium erat populi beneficium, quod in mandando consulatu summum erat.

Mullus piscis.

Barbatulos mullul.) Mullus piscis est marinus litoralis & gregalis, barba gemina insignitus in labro inferiori. Plinius cap. 17. lib. noni author est, vbi multa de hoc pisce, quem ob id Veneti barbonem vulgò appellãt, vt Perottus ait: Nos à barba, barbonem piscem vulgò appellamus, sed qui in fluminibus capiatur. Mullus marinus tanto in precio fuit apud veteres, vt Asinius Celer vir consularis mullum vnum septem millibus nummûm mercatus sit: vt ex Samonici sententia Macrobius libro Saturnalium tertio scribit, octo millibus nummûm fuisse emptum, & Asinium Celerem Claudio principe fuisse Plinius ait. Mullulos autem per diminutionem dixit, vel vt notaret maiorem virorum consularium stultitiam, vel quia hi pisces parui sunt. Nam Plinius hunc piscem esse dicit magnitudine modica, binásque libras põderis raro admodum exuperare, nec in viuarijs piscinísque crescere. Hos tantùm, vt inquit, Septentrionalis & proxima Occidentis parte gignit Oceanus. Exceptantẽ.) id est, sæpe capientem.

Piscina.

De piscina.) Lacus & stagna, quæ piscibus viuis coercentur clausa, suo atque proprio nomine piscinas nominauerunt, vt ait A. Gellius cap. 15. libri secundi. Quòd in piscinis viui pisces clausi coerceantur: eas, etiam viuaria Plinius lib. 9. sæpe appellat. Quòd in viuarijs piscinísque neget Plinius mullos crescere, id illum habet intellectum, Mullos ex Oceano in viuaria & piscinas transferri, sed ibi non crescere.

L. Crassus.

Pertractantẽ manibus. Murenarum copia gloriantem.) L. Licinius Crassus orator, vir Censorius, murenam in piscina domus suæ mortuam attratus tanquam filiam luxit. Id ei collega Cn. Domitius quum in Senatu tanquam turpe obiecisset, tantum abfuit, vt confiteri erubuerit, vt etiam gloriatus sit Censor piam rem & affectuosam fecisse. author est Macrobius lib. Satur. 3. Idem scribit Licinios Crassos appellatos Murenas, quòd ijs murenæ fuerunt charißimæ. Quod ca-

dem in loco scripsit nobilissimos illos principes L. Philippum, & Qu. Hortensium piscinas habuisse refertas piscibus pretiosissimis, itaque hos à Cicerone piscinarios appellatos. M. Cato minor, vt idem scribit, hæres Lucilij factus, pisces de eius piscina 40. millibus vendidit. C. Cæsar Dictator, cùm triumphales cœnas populo daret, sex millia murenarum à C. Hirtio ad pondus mutuò accepit. Nam permutare pretio aliáve merce Hirtius noluit, vt ait Plinius cap. 55. libri noni. Eodem in loco scribit Hortensium murenam ita dilexisse, vt exanimatam flesse credatur. Maiore aliquo negocio.) quàm vt pisces pertractet: aut maiore .i. multũ magno. An eorũ seruitus dubia est.) .i. an dubiũ sit eos esse seruos. Cupiditate peculij.) Peculiũ à Tuberone definitur, vt sit quod seruus domini permissu separatũ à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. Dictũ est autem peculium, quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillum. Author est Vlpianus libro Digest. 15. De peculio Sex. Pompeius, Peculium seruorum à pecore dictum, vt pecuniam patrumfamiliâs aut nobilium. De peculio Valla lib. 6. plura scribit, vbi locum hunc citat. Hæreditatis spes.) Sẽsus est, Sperans hæreditatem alicuius vt eius animum alliciat, ei quàm iniquè inseruit. Erat autem apud Romanos veteres testamentorum libertas. Alienum enim vt propinquum hæredem facere licebat. Quid iniquitatis.) Authore Cicerone lib. de Repub. 3. vt est apud No. Marcellum, Iniustæ seruitutis genus est, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse. Locupletis.) vt maiorem habeat hæreditatem. Orbi.) id est, liberos nullos habentis, vt facilius hæres fiat. Senis.) vt hæres fiat citius. Quid iam illa cupiditas.) ambitiosos seruos esse probat, quòd cupiditati seruiant. Miserrima est omnino ambitio, honorúmque contentio, vt ait Cic. lib. de Officijs primo. Authore M. Varrone, vt est apud No. Marcellum, tanta inuasit cupiditas honorum plerosque, vt vel cœlum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent. Quæ videtur esse liberior.) Magistratus enim quòd alijs imperent, videntur liberiores. Honoris.) id est, magistratus. Imperij.) id est, vt sis prætor, aut consul, & prouinciam sorte obtineas. Cethego homini non probatissimo.) Haud scio an Cethegus sit is, qui postea Catilinæ socius fuerit, de quo in carcere sumptum supplicium sit. Huius tamen vita obscœna, libidinum ac flagitiorum plena erat. Nihilominus ciuitatis Romanæ princeps videbatur, nec Senatus quicquam censebat, aut populus iubebat, nisi quod Cethego placuisset. Is insignem meretricem Romæ familiariter colebat, nomine Preciam, quæ & formæ venustate, & sermonis comitate reliquas omnes lõgè præstabat. Itaque multos nobiles ex Romana iuuentute sibi amore deuinxerat. Qua ex caussa quæ in Repub. gerebantur cognoscebat, ciuium discordias componebat, amicitias confirmabat. Accedente Cethego amatore maior huius in Republica fuit potentia. Nec quicquam Cethego probabatur, nisi quod Precia iussisset. Octauius, qui Ciliciam prouinciam administrabat, id temporis mortus est. L. Lucullus consul nimium gloriæ cupidus, Mithridaticum bellum decerni sibi maximè cupiebat: id se assecuturum sperabat, si Ciliciam Capadociæ proximam obtineret. Itaque Preciam tum donis, tum blanditijs sibi deuinxit, eiúsque beneficio id assecutus est, vt Cethegi suffragio Ciliciam obtinuerit. Hoc licet fusius legere apud Plutarchum in vita Luculli. Res) id est, prouinciæ & gloriæ cupiditas. Lucullum Cethego seruisse hîc Cicero dicit, quem seruisse Preciæ, apud Plutarchum est. Qui sibi esse amplissimi videbantur.) id est, L. Lucullum Cos. Consulatus enim amplissimus magistratus erat. Plurale autẽ pro singulari vsus est, vt sit intellectio. Quæ seruitus est.) Argumentum à contrario est. Quum cupiditatum dominatus excessit.) id est, quum quis pecuniam aut imperium non cupit amplius, sed adeptus est iniustè. Paulò loquacioribus.)

Peculium quid sit.

Seruitus ministri.

Ambitio misera.

Cethegus.

Precia meretrix

Meretricis potẽtia.

L. Lucullus.

qui consilia fidei suæ credita celare non possunt. Quæ enim norunt, aut metu, aut leuitate facilè effutiunt. Aut quia adolescentes ex magnorum virorum accusatione probitatis & eloquentiæ laudem capessere solebant, vt est in lib. de Off. 2. in qua sententia locum hunc intelligi, Valla lib. 6. author est. Paulò loquacioribus.) Adolescẽtes enim ex schola prodeũtes in accusando senibus in foro iã diu versatis loquaciores erant. Est seruiendum.) Nam, vt ait Iuuenalis Saty. 3. Quis nunc diligitur, nisi conscius? & cui feruens AEstuat occultis animus, sempérque tacendis? Nil tibi se debere putat, nil cõferet vnquam, Participem qui te secreti fecit honesti. Clarus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult Accusare potest.

Adolescentes loquaciores.

Qui vidētur aliquid scire.) à nobis factũ esse turpiter scilicet. Qui valet igitur, &c. Quantum coniicere licet, hæc L. Craßi verba sunt ex quadam concione ad pop. Ro. qua dissuasit ne Cinna, Marius, Carbo, & Sertorius cum patria bellum gerentes, in vrbem reciperentur. In ea autem concione illa verba fuerunt, Eripite nos è seruitute, nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi vobis vniuersis quibus possumus & debemus. Is autem est L. Craßus orator, de quo sæpe Cicero, & T. Liuius lib. 80. meminerunt. In libertatem vindicari.) id est, è seruitute eripi. Nisi vobis vniuersis.) id est, vniuerso populo Rom. ad quem hæc oratio habebatur. Exaggerato.) id est, cumulato. Stoici enim virtutes ita inter se connexas esse dicebant, vt nemo vnam habere posset, quin haberet reliquas. Non reddere.) id est, non soluere. Ille videat.) M. Antonius, de quo in principio huius paradoxi intelligere videbatur.

BEATVS LIBER. Apud Laertium hoc paradoxũ sic legitur, μόνον τε ἐλεύθερον, τοὺς δὲ φαύλους δούλους. Manca hæc lectio est, in Græca Frobenij editione. Interpretis lectio est integra, vt legendum sit μόνον τε σόφον ἐλεύθερον, &c. Cato sese Vticæ interempturus, de hoc paradoxo fortiter disseruit. Verba Plutarchi adscribam: καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον, ὁ πότος ἔσχε μοῦσαν πολλὴν, καὶ χάριν, ἄλλων ἐπ' ἄλλοις λόγων φιλοσόφων κυκλῳιόντων, ἄχρις οὗ περιῆλθεν ἡ ζήτησις, εἰς ταῦτα δὴ τὰ παράδοξα καλούμενα τῶν στωικῶν, τὸ μόνον εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἐλεύθερον, δούλους δὲ τοὺς φαύλους ἅπαντας. ἐνταῦθα δὲ, ὡς εἰκὸς, ἀντιβάντος τοῦ περιπατητικοῦ, σφοδρῶς ἐμπεσὼν ὁ κάτων, καὶ τόνον προσθεὶς, καὶ τραχύτητα φωνῆς, ἀπέτεινε πορρωτάτω τὸν λόγον, ἀγῶνι θαυμαστῷ χρησάμενος, ὥστε μηδένα λαθεῖν, ὅτι τῷ βίῳ πέρας ἔγνωκεν ἐπιθεὶς ἀπαλλάττεσθαι τῶν παρόντων, &c. Egregia, Epicteti opinor, sententia citatur, ἐλευθερία καὶ δουλεία, τὸ μὲν ἀρετῆς ὄνομα, τὸ δὲ κακίας. Hoc paradoxon propius ad Christianam profeßionem accedit, quàm superiora. Sic enim scribit Augustinus de Ciuit. Dei, lib. 4. cap. 3. Proinde bonus etiamsi seruiat, liber est: malus autẽ etiam si regnet, seruus est. Nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum. Laudetur verò.) Hoc paradoxon prima fronte magis theticon, quàm hypotheticon esse adparet. Magna circunstantiarum raritas est. Relucet tamen quædam inde hypothesis, perinde ac si in Antoniũ (nam sic plerisque placere video) hæc sint dicta. maximè si huius actionis propositionem hãc ponas: Antonius gubernacula Reip. Romanæ sibi sumpsit, tantum abfuit ab imperio, vt non modò non imperator, sed ne liber quidem, imò seruus insuper turpißimus fuerit. Nisi hæc de Sylla, vel Tarquinio magis intelligere voles. Nam de vtroque vestigia apud eundem Ciceronem sunt sub finẽ libri de Finibus 3. Vt verò inuestigatio istius rei certior fiat, subiiciam ipsius Ciceronis verba: Quàm grauis verò, quàm magnifica, quàm constans conficitur persona sapientis: qui cùm ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, veréque omnia ista nomina poßideat, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex, quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit: rectius magister populi, (is enim est dictator) quàm Sylla, qui trium pestiferorum

vitiorum, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magister fuit. Rectius diues, quàm Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset. Rectè eius omnia dicentur, qui scit vti solus omnibus. Rectè etiã pulcher appellabitur: animi enim lineamenta sunt pulchriora, quàm corporis. Rectè solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediẽs cupiditati. Rectè inuictus, cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula iniici nulla poßint: nec expectet vllum tempus ætatis, vt tum denique iudicetur, beatúsne fuerit, quum extremum vitæ diem morte confecerit: quod ille vnus ex septem sapientibus non sapienter Crœsum monuit, Nam si beatus vnquam fuisset, beatam vitam vsque ad illũ à Cyro extructum rogum protulisset. Quod si ita est, vt neque quisquã nisi bonus vir, & omnes boni beati sint, quid philosophia magis colendum? aut quid est virtute diuinius? Hæc verba eò libentiùs adscripsi, quòd non modò huius paradoxi vestigia indicant, sed sunt etiam antecedentium paradoxorum, & sequentis quasi anacephalæosis. Constat autem hæc quoque disputatio, maxima ex parte argumentis à finitione ductis: Quid nimirum seruitus, quid libertas sit vera. de quibus suis quibusque locis videbimus. Video tamen quosdam in ea esse opinione, vt intelligantur hîc imperatores boni, qualis vel Scipio, vel Pompeius fuerunt. Syluius Antonium intelligendum censet, si quis intelligendus sit: quanquam locum communem esse mauult. Nec desunt argumenta, quæ monent, hæc in Antonium dicta esse: quæ suis videbimus locis. Ego interim hunc locum per conceßionem expono. Inueniatur aliquis vel Antonij vel Syllæ laudator, sicut Busiridis Isocrates, & cætera.

Improbißimis dominis.) Sicut in Senectute libidinem venereã, agrestem dominum appellauit. Quorum authoritate.) Conciliat in transitu sibi adtentionem, ab asserentium & auditorum existimatione. Verùm generale philosophorũ nomen plausibilius est, quàm particulare Stoicorum, qua vafricie etiã in superiori paradoxo vsus est. Dictum est.) Redit ad propositionẽ. Quid est igitur libertas.) A definitione τοῦ κατηγορουμένου prioris. Eodem modo Stoici apud Laertium definiunt, τὴν ἐλευθερίαν εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. Sic in definitionibus Platonicis ἡγεμονία βίου definitur, καὶ αὐτοκράτεια ἐπὶ παντί, ἥτε ἐξουσία τοῦ καθ' ἑαυτὸν ἐν βίῳ. Ergo hæc quoq; Socratica cõtra Maioragiũ videri possunt. Vt vult.) Vt vult, inquit, non vt libido suadet, sed vt ratio dictitat. Nam hac significatione Stoici hoc verbo vtuntur. Authorem habeo ipsum Ciceronem, qui in 4. Tusculana sic scribit, Quamobrem si simul obiecta species cuiuspiam ẽst, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura: id cùm constanter prudentérque fit, ciusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus volũtatem. Eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata. Vnde noster Cicero superiùs libidines refrenandas esse monuit. Non propter metum.) Rectè itaque ille ait,

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

De hoc disputat etiam Cicero in 1. de Legibus. Nisi libenter.) Non muneribus corruptus, non gratia victus, aut odio. Hoc enim conqueritur apud Eurip. Hecuba, φεῦ, οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅς τις ἔστ' ἐλεύθερος ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης, ἢ πλῆθος αὐτὸν πόλεος, ἢ νόμων γραφαὶ εἴργουσι χρῆσθαι μὴ κατὰ γνώμην τρόποις. Suis cuique fingitur.) Erasmus in Prouerbio, Sui cuique mores fingunt fortunam, hunc locum sic emendandũ censet: Cui quidem etiam, quia vim habet maximam, fortuna ipsa cedit, & sicut sapiens poeta dixit, suis cuique moribus fingitur. Sentit enim, inquit, fortunam fingi cuique suis moribus. Syluius Sallustium citat, ac C. Cæsarem de Rep. ordinãda, à quo Appij (Cæci opinor illius antiqui)

dictum citatur, Fabrum esse quenque fortunæ. Quod tamen Volaterranus alicubi citans, Accio tribuit. Constat certè ex quarta Tuscul. quæst. Appij Cæci carmen Panætium laudasse, in quadam ad Qu. Tuberonem epistola, ídque Ciceroni Pythagoricum videri.

Igitur omnes improbi serui.) Iam per ἀντίθεσιν, alteram partem huius paradoxi adoritur. Non enim ita dicunt.) scilicet Stoici. Est hæc quasi contestatio litis. Vrget, imò excludit definitionẽ vocis, quæ est apud Iureconsultos, siue à seruiendo seruos dictos voles, siue quòd ab Imperatore, à quo in bello capti fuerunt, seruati sint. Vt mancipia.) Aliter, inquit, serui dicuntur, quàm mancipia, quæ solam ciuilem significationẽ, serui præterea moralem quandam habẽt. Mancipia siquidem, teste Florentino, dicta, quòd manu ab hostibus capiuntur, lib. 4. ff. de statu hom. De quo lege præterea Boetium in Topicis Ciceronis. Seruitutis autem plures, vel Laertio teste, significationes sunt. Nam postquam definiuit τὴν ἐλευθερίαν, ἐξουσίαν εἶναι τῆς αὐτοπραγίας, illi opponit τὴν δουλείαν, quam definit στέρησιν τῆς αὐτοπραγίας. Deinde subiicit aliã, quam definit δουλείαν τὴν ἐν ὑποτάξει. Hinc addit tertiam τὴν ἐν κτήσει τε καὶ ὑποτάξει: cui opponitur ἡ δεσποτεία, quæ & ipsa praua est. Hæc eò prõptius apposuimus, quia Latina interpretatio corrupta hoc loco est. Sunt autẽ hæc quoque subobscura. Satis clara fuerit differentia, si dicamus, corporis seruitutem nihil derogare liberati animi. Cæterùm quando animus seruitutem seruit, vel libidinis illecebris, vel auaritiæ, vel crapulæ, vel in vniuersum voluptati, nulla maior aut grauior seruitus excogitari potest. Epicteti opinor, doctrina hæc est, ὅτι κακὸς δεσμὸς σώματος μὲν τύχη, ψυχῆς δὲ κακία. ὁ μὲν γὰρ τὸ σῶμα λελυμένος, τὴν δὲ ψυχὴν δεδεμένος, δοῦλος. ὁ δ᾽ αὖ τὸ σῶμα δεδεμένος, τὴν ψυχὴν λελυμένος, ἐλεύθερος. Clariora sunt Laertianis, quæ de triplici seruitute Io. Stobæus ex Brysonis cuiusdam Oeconomico refert, οὕτω δὴ πᾶσιν ἡμῖν ἄρα τριχῶς. ὁ μὲν γάρ τις δοῦλος κατὰ νόμον γίγνεται. ὁ δὲ, κατὰ τὸν τρόπον τὰς ψυχὰς ὁ κρατούμενος ὑπὸ τῶν ἰδίων παθημάτων τὰς ψυχάς. ὁ δὲ τρίτος, οὐχ ἁπλῶς δοῦλος, ἀλλ᾽ ὁ τῇ φύσει δοῦλος, καὶ ἐν κατακρήσει δοῦλος. καὶ μᾶλλον μοχθηρὸς ἄνθρωπος, ἢ δοῦλος κατὰ φύσιν. κατὰ φύσιν δὲ δοῦλος, ὁ δυνάμενος αὐτάρκως διὰ τοῦ σώματος ὑπηρεσίας παρέχεσθαι τοῖς δεσπόταις. Atqui Iureconsulti hanc seruitutem contra naturam esse etiam dicunt, de quo paulò pòst. Nunc antequam hinc digrediamur, corolarij vice addemus etiam hoc paradoxon, non alienum à doctrina catholica. Neque enim hæc loquendi forma cum Paulina eloquentia pugnat, apud quem occurrunt nobis paßim mancipia ventris, serui peccati, addicti Mammonæ: & vicißim libertas spiritus, & huius generis alia plurima. Nemo sanus calumniabitur, nos miscere sacra prophanis: cùm idem sit finis, docere pietatem, & honestatem. Nexu, aut aliquo iure ciuili.) Seruitus etiam corporis contra naturam est, sicut libertas est naturalis facultas, vt idem Florentinus loco suprà citato definit. Sed ibidem docet, Seruitutem iuris gentiũ esse constitutionem, cùm hîc iuris ciuilis esse videatur. Cõciliabimus hos locos authoritate, ratione fulcita: nempe Martiani, in lege sequente, vbi ait, Seruos non tantũ iure gentiũ in nostrum dominium redigi, sed etiam iure ciuili: vt si quis maior 20. annis ad precium participandum se venire passus est. Plures paßim species numerantur, quibus seruitus ex iure ciuili euenit. Cuius exemplum hoc insigne est, de nexu. Nam qui lege 12. Tabularum ob æs alienum creditoribus in temporariam seruitutem addicebãtur, addicti & nexi vocati olim fuerunt. De quo lege Budæum in titulo De in diem addictione. Neque interim negamus, Seruitutem iure diuino irrogatam: nec aliud esse corporis seruitutem, quàm seruitutis animi pœnam quod Ferrarius in Inst. titulo De iure personarum, multis & euidentibus demonstrat exemplis. Cui mulier imperat.) Tam turpiter enim Antonius Cleopatræ seruiuit, quàm Hercules Omphalæ. Vxorij huiusmodi dicuntur Latinis, Græcis γυναικοκρατούμενοι. Et

quanquam Cic. Antonij cæcū in Cleopatram amorē videre non potuit, præbuit tamen ante specimen in Fuluia coniuge, quæ Clodio prius nupta fuerat: quæ, vt erat imperiosa, ita eū instituit, vt Cleopatræ iugum facilius ferre potuerit. Audiamus Plutarchum: ἀπαλλαγεὶς γὰρ ἐκείνου τοῦ βίου, γάμῳ προσέσχε, φουλβίαν ἀγαγόμενος, τὴν κλωδίῳ τῷ δημαγωγῷ συνοικήσασαν, οὐ ταλασίαν, οὐδὲ οἰκουρίαν φρονοῦν γύναιον, οὐδ᾽ ἀνδρὸς ἰδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλλὰ ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν βουλόμενον. ὡς κλεοπάτραν διδασκαλία φουλβίας, τῆς ἀντωνίου γυναικοκρατίας ὀφείλειν, πάνυ χειροήθη, καὶ πεπαιδαγωγημένον ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀκροᾶσθαι γυναικῶν παραλαβοῦσαν αὐτόν. γυναικοκρασία καὶ γυναικοκρατία hoc differunt: quòd hæc necessarium est mulierum in viros imperium, sicut Melas & Strabo de Mæoticis scribunt, qui ab Amazonibus victi, illis ad procreandam sobolem parêre coacti: item Plinius, de Pandæis: illa verò, voluntaria & ex intemperantia nata mulierositas. περὶ τῆς γυναικοκρατίας lege Budæum in prioribus Annotationibus ex Aristotelis Politicis præclarè disserentem. Atriensis.) Atriensiū summa erat authoritas, quòd domini negotia procurarent, res venales distraherent, debita exigerent, & in alios seruos non parum iuris vsurparent, quod ex Plauti Asinaria cognosci potest. Arbitror & alimenta cæteris seruis diuidere solitos, & inde ab atrio nomen sumpsisse. constat enim, in atrio sportulas, cibariáq; distribuisse. Hæc Alciat. in l. 203. ff. de Verb. sig. Nos enim dicimus Hofmaister: nisi quòd nostri liberæ conditionis sunt. Aequè serui.) Nā Martianus quoque iureconsultus dicit seruorum vnam conditionem esse, liberorum multas. Vide hîc Petri Victorij Castigationes. Corinthia opera.) De his paulò superius dictū est. Et sumus.) Occupatio. Sed imperium Parthicum abdicare iussus, hostis decretus, ciuitate eiectus. Magna bella gessi.) Alia occupatio. Bellum Catilinarium & Parthicum, vnde aliquid laudis reportasti: cætera parum laudis tibi attulerunt. Echionis.) Vide quæ Syluius hîc, & Matthæus Phrysemius annotauerūt. Sed qui hunc locum ex Plinio emendarunt, debebant pari opera emendasse etiā alium in Claris oratoribus, vbi Eetion, in emendatioribus etiā hodie AEtion legitur, pro Echione. Mitto eum.) παράλειψις, seu præteritio. Igitur sunt illa festiua.) Eodem modo Zuuinglius Fabro respondit, huiusmodi ineptias in ecclesia probanti. Oblectamenta puerorum) Quare Satyricus puppas vocat. L. Mūmius.) In secundo de Off. lib. Cic. L. Mūmiū laudat, quòd monumentis Corinthiacis Italiā, quàm domum suā, ornare maluit. Quo loco nos quædā annotauimus. Cōmendat eiusdem continentiam, in Verrē act. 3. & 6. Cæterū quæ de bello Achaico annotanda fuerant, annotauimus Off. 1. De Corinthi monumentis, neminem rectius, quàm Pausaniā, leges. Matellionē Corinth.) Species pro genere, pro vasis Corinthijs, vel in vniuersum pro ære Corinthio, quæ Strabo χαλκώματα κορινθ. ουργῆ, Morisotus ἀμίδα reddidit, qua voce vsus Plutar. est pro matula, in Apoph. Laconicis, cùm de puero scribit, qui matulā domino porrigere detrectauit. & Aristoph. in Vespis, vbi cōmentator οὐρητρίδα, καὶ οὐρητρὸν ἀγγεῖον exponit. & in Arachnis οὐροδόχον ἀγγεῖον. Iulius Pollux lib. 10. c. 9. de vasis excrementarijs, viris quidē λάσανον. i. matulā commodā ait, καὶ ἀμίδα, quā Scaphiū interpretātur. ἀμίδα verò Sophocli οὐρήθραν vocari, Aeschilo οὐρηνὴν, mulieribus σκάφιον. Inde σκωραμὶς, ᾧ ἀποπατοῦσι τῆς ἀμίδος noīe, Eupolis, teste Athenæo, primus vsus est. Laza. Bayf. in tract. de Auro & argēto legato, hunc locū sic exponit: Matellionē Corinth. dixit Tullius, ære Corinthio factū. Quod æs ex S. C. deleta à L. Mūmio Corintho factū & conflatū est. Nā æris notā preciosiorē ipsa opulentißimæ vrbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimis statuis atq; simulachris, æris, auri, argentíque venæ in commune fluxere. Signa quoque fictorum nobilium Corinthia appellabant antiqui. Hactenus ille. Cùm ipse totam Corinth.) Ad hāc

frugalitatem pulchrè quadrant, quæ de hac re scribit Velleius Paterculus: Mũmius, inquit, tam rudis fuit, vt capta Corintho, cùm maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, si vas perdidissent, nouas eos reddituros. Non tamen puto dubitas Vinici, quin magis pro Repub. fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quàm in tantum ea intelligi: & quin hac prudentia, illa imprudentia decori pub. fuerit conuenientior. M. Curius.) De hoc suprà in primo Paradoxo. Præter ipsos.) Præter animos eorum, more Platonico. Barbatulos mullulos.) Quidam Lucullum & Hortensium, & alios putant intelligendos, quos Piscinarios ad Atticum lib. 1. Cicero vocat: quorũ viuaria piscium celebrantur à Plinio, lib. 9. cap. 54. atque cap. sequente scribit idem Plin. de Hortensio oratore, quòd murænam adeò dilexerit, vt exanimatam flesse credatur. Hoc Macrob. lib. 3. Sat. cap. 15. Crasso, Craßi eloquentis filio, tribuit. Lege ad hæc Budæum lib. 2. de Asse. Certè Antonius ipse ridiculus piscator describitur à Plut. sed οὐδὲν πρὸς ἔπος. Barbatos mullos principibus Romanis exprobrat Cicero ad Atticũ 2. Epist. pri. Nostri autẽ Principes digito se cœlum putent adtingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Morisotus τριγλίδας ὑποπωγώνας vertit, sic formans diminutiuum ἀπὸ τῆς τρίγλης. τρίγλα nanque Aristoteli vocatur. Hunc Athenæus ex Platone Comico Dianæ virgini sacrum esse dicit: qui & veneris impetum sedare, cuius rei idem Athenæus Terpsiclem authorem citat lib. 7. Nos, sic etiam Itali Bardum & Barbonem, à Barba, Barmen appellamus. Et Murænarum.) μύραινα etiã Græcis, Teutonicum nomen nondum inuenimus: quia piscis marinus, & exoticus. Hisce quæ ex Plinio annotantur, nihil addimus: expectamus enim Gesneri de Animalibus historiam, nisi velim eundem Athenæum testem adducere, qui Theophrasti authoritate dicit, quòd muræna poßit multo tempore extra aquam viuere. Peculij.) Morisotus δουλοκέρδιαν ficto vocabulo reddidit. Theophilus in Instit. lib. 2. tit. 9. Castrense peculium, καστρένσια πεκούλια nominat & Plut. in Publicolæ vita, leges eius aliquot referens, mulctas pecuniarias fuisse ait pecudes, ante videlicet nummorum vsum, indéque patrimonia peculia esse dicta: Διὸ καὶ τὰς οὐσίας, ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων, πεκούλια καλοῦσι, καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. Hæc testimonia propterea cito, quòd antiqui Græci nomen aliud, quàm Latinum, ignorasse videntur, cùm re ipsa caruisse videantur. Nõ hîc anxius quæro, vtrum paterfamiliâs peculium, an seruus bona habere poßit: quod Vlpiano placuisse videmus in l. paterfa. ff. de verb. sig. cùm certò cõstet, nihil differre à thesauro, quod nomen putant deductum quasi τὸ εἰς αὔριον. Nec repugnat deriuatio. nam peculium significat paruam pecuniam: id quod Alciat. contra Vallam defendit in loco iam suprà citato, & lib. 4. de Verb. sig. Potuisset itaque χρημάτιον, ἢ ἀργυρίδιον finxisse, nisi magis ad seruorum peculium respexisset. Hæreditatis spes.) Contra hæredipetas grauiter disputat Cic. lib. Offic. 3. Ad voluntatem.) Sicut ad gratiam loqui, prouerbiale est, χρησολογεῖν, χαριγλωττεῖν. sic etiã Plut. de ipso Cethego, quo de iam sequitur: καὶ γὰρ ὁ κρατῶν τότε τῆς πολιτείας, τῷ πρὸς χάριν ἅπαντα καὶ λέγειν καὶ πράττειν, Κέθηγος ἔχθραν τινὰ πρὸς Λούκουλλον εἶχε. Ita Diogenes, τὸν πρὸς χάριν λόγον ἔφη μελιτίνην ἀγχόνην εἶναι.

Cupiditas quæ videtur.) Nam hæc apud Sallustiũ quoque cõfinis est virtuti. Cethego.) Nam Lucullus Cos. non modò illi, sed etiam eius amatrici Præciæ, vt Ciliciæ prouincia poti retur, turpiter adulatus est. authore Plut. Cæterùm de iis quæ ad improbos istius mores pertinent, videndus est Sallustius, Cicero, Porcius Latro. Eripite.) Antonius apud Ciceronem de Orat. primo, hanc inclamationẽ Crasso tribuit, qua ad populum vsus est. Quomodo imperator.) Imperatorem quidẽ hîc nominat Antoniũ. Sed respicit interim ad nomen

Regis, quod in hoc Paradoxo continetur: οὐ μόνον δὲ ἐλευθέρους εἶναι τοὺς σοφούς, ἀλλὰ καὶ βασιλέας, τῆς βασιλείας οὔσης ἀρχῆς ἀνυπευθύνου, ἥτις περὶ μόνους ἂν σοφοὺς σταίη, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ τοῦ κυρίως κεχρῆσθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμασιν. *Hactenus Laertius. Sed ipse Cicero hæc miris modis exagitat aduersus Catonẽ in oratione pro Muræna. Sunt quædam huc pertinentia apud Senecam cap. 8. de Clementia. Citatur etiam in hunc modum ab Antonio monacho, nescio an ex Philone:* μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερός τε καὶ ἄρχων, κἂν μυρίους τοῦ σώματος ἔχῃ δεσπότας.

INNOMINATVS. Omnia hæc paradoxa ducuntur à consequẽtibus. Nã quia sapiens est beatus, vt dictũ est secundo paradoxo, colligũt Stoici solũ sapientem esse regem, imperatorem, liberũ. Cæterũ hæc sunt accipienda de libertate animi, quæ est cũ sequimur rationem, nec obtemperamus cupiditatibus. Ex contrario seruitutem animi colligere licet. Laudetur.) Principio vtitur ironico, & quæstione definita: incipítque ab alio Stoicorum paradoxo, Quòd solus sapiens sit imperator. Cũ ipse improbißimus.) Locus est ab officio sapientis, vereq́ue imperantis. Est enim primũ, vt te regas, móxque vt alios: cùm autẽ hæc in Antonio non sint, negat illum Imperatorem esse. Dũ quidem his.) Hac propositione comparatiua sensum traiicit ad paradoxum, cuius duæ sunt partes: altera de sapientibus quæ tractabatur priore loco: altera de stultis, quæ posteriore. Potestas viuẽdi.) Proponit primã partem paradoxi, mox argumentatur à definitione, quam accommodat personæ sapientis, ab eius proprietatibus & officijs. Cuius omnia consilia.) Significat ipsum sapientem omnia bona habere in animo. i. in virtute, à qua sapientis actiones proficiscũtur, & in quem vt in finem referuntur. Quàm ipsius voluntas.) Voluntatem vsurpauit more Stoico, non vt vulgo. Est enim Stoicis voluntas, desiderium cũ ratione coniunctum, opponitúrque cupiditatibus, atque est in solo sapiente, author Cic. in Tuscul. Quod etsi.) Antithetica propositione transit ad alteram partẽ paradoxi, quam etiã est reuocaturus ad hypothesin: éstque ostensurus Antoniũ esse seruum. Nõ enim.) Primò distinguit homonymiã. i. æquiuocationem, aítque paradoxũ de seruitute animi intelligendum esse, quã mox definit: sic probat hoc reipsa non esse inopinatum. Nexu.) Nexus imaginaria venditio est quæ fit præsentibus quinque testibus Romanis ciuibus, puberibus, & præsente libripende. An ille.) Argumentum est vehemens in Antonium à repugnantibus. Nam parebat Fuluiæ vxoris suæ minis, etiã obtẽperabat amasijs. Atque vt in magna familia.) Argumentum est à simili.: Locus tamen est totus deprauatus, sicq́ue legendum est ex vetusto codice, Atrienses ac Topiarij stultitiæ tuæ: sic quos signa, &c. Sunt autem Atrienses serui, qui diuitias, aurum, argentúmque, quod olim in atrio recondebatur, asseruant. Topiarij verò serui, qui in viridarijs ex fructibus & arbusculis historias efficiunt, rerum multarum insigni varietate: quod opus dicitur Topiarium Plinio. E Sũmis, inquiunt.) Antipophoram soluit, similitudine à seruitute ciuili ducta: cúmque anteà ostendisset lautiorem esse seruum Antonium, nunc eundẽ probat mediastinũ & vilißimum. Magna, inquis, bella.) Insanum Antonij studiũ, atque adeò aliorum Romanorũ ostẽdit, vt seruos esse probet cupiditatum. Echionis.) Echion inter præclaros pictores à Plinio numeratur, Polycletus autem peritus fuit statuarius. Alij habent Actæonis. Nam nos.) Obiectionẽ ita diluit, vt harum rerum tollat cupiditatẽ. Itaque scribit res esse viris indignas, ac prorsus contemni debere. Oculos eruditos accepit Cælius, pro bene iudicantibus de obiecto suo, habentibúsque adamußim iudicium. L. Mummius.) Nunc adfert exempla hominum continentißimorum. Mummius enim cũ euersa Corintho Italiam replesset signis & tabulis, tamen pauperrimus est mortuus. Tantus autem luxus fuit quorundã Romanorum, vt trullam &

matulam ex argento & ære Corinthio habeant. M. Curius) Manius legunt alij, authore Apuleio, à quo lex Mania appellata est, vt testatur Cicero in Bruto. Nam eorũ seruitus.) Per inductionem percurrit cupiditatum species, vt cupidos omnes esse seruos ostendat. Cæterùm cũ de auaris loqueretur, quos seruos probat, pulchrè addidit peculium, quod propriè in seruis vsurpatur à iurisconsultis. Mullus piscis dicitur à similitudine mulleorũ calceamentorum, ac gemina inferiore labro barba insignitur. Non est tamen ille qui ab Ausonio Barbus appellatur. Mullum Trigam appellãt Maßilienses, apud nos nomen retinet. Iam Murænam falso accipiunt pro Lampetra, cũ sit piscis longè diuersus: tamen nomen retinet apud Maßilienses. Vide Plinium lib. 9. Cethego homini.) Exemplum hoc apud Plutarchum in Lucullo copiosè declaratur. Nam Cethegus vir alioqui improbus & intemperatus multũ potuit in Rep. Coactus est huic supplicare Lucullus, vt ad bellum Mythridaticum mitteretur. Quid cũ.) Docet postremò eos maximè esse seruos, qui conscientia peccatorum anguntur, & graphicè eorum timorem describit. Adolescentibus.) Adolescentes Romani famam sibi comparare solebant alicuius mali ciuis accusatione. Sic Cæsar accusauit Dolabellam. Aut certè per adolescentes intelligit comites & asseclas eiusdem facinoris conscios. An nõ est.) Reprehendit verba Craßi oratoris, quibus est vsus aduersus Philippum Cos. Nam dum metuit Crassus ne seruiat Philippo & cæteris factiosis, se vltrò seruum esse dicit Senatus. Est igitur oratio nimium timida, ideóque seruilis. Nos verò.) Rursus Craßi verba notat per inficiationem: qui enim fortitudine cæterísque virtutibus est præditus, seruire nec potest, nec debet. Ille videat.) Reuertitur ad initiũ paradoxi, argumentúmque repetit quo erat vsus, atque ita claudit paradoxum.

LATOM. Iterũ contrahit thema ad certã personã, & in M. Crassum, qui diues cognominabatur, hoc paradoxũ intendit. Ex definitione diuitis probat Crassum diuitẽ non esse. Antithesis, qua exponẽdo argumẽtũ ĩducit adsumptionẽ ratiocinatiõis. Cuius hæc summa est, Qui nihil cupit, est diues: Craß⁹ plura cupit: ergo Crassus non est diues. Adsũptionem colligit

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Quòd solus sapiens diues sit.

PARAD. VI.

QVæ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? solúsne tu diues? Pro dij immortales! egóne me audisse aliquid, & didicisse non gaudeam? solúsne tu diues? Quid si ne diues quidem? quid si pauper etiam? Quem enim intelligimus diuitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possesio est, vt ad liberaliter viuendũ facilè contentus sit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet se iudicet diuitẽ, non hominũ sermo, neque possesiones tuæ. qui si tibi nihil deesse putas, nihil curas amplius, satiatus es, aut cõtentus etiã pecunia. cõcedo, diues es. Sinautem propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, cùm isti ordini ne honestus quidem esse posit vllus: si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis: si socios spolias, ærarium expilas: si testamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, atque ipse suppo

nis:hæc vtrum abundantis,an egentis signa sunt? Animus hominis diues, non arca, appellari solet. quanuis illa sit plena, dũ te inanem videbo, diuitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique sat est, metiãtur homines diuitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus: duas? maiore: plures? maiore etiam. Etsi (vt aiunt) Danao quinquaginta sint filię, tot dotes magnam quærunt pecuniam : quantum enim cuique satis est, ad id accõmodatur, vt antè dixi, diuitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui tempore maximas copias exhaurire possint : hunc quomodo ego appellabo diuitẽ, cũ ipse egere se sentiat? Multi ex te audierunt, cùm diceres, neminem esse diuitẽ, nisi qui exercitũ alere posset suis fructibus: quod pop. Romanus ex tantis vectigalibus iam pridẽ vix potest. Ergo hoc proposito nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, vt ex eo tueri sex legiones, & magna equitum ac peditum auxila possis. Iam fateris igitur non esse te diuitem, cui tãtum desit, vt expleas id quod exoptas. Itaque istam paupertatẽ, vel potius egestatẽ, ac mendicitatẽ tuam nunquã obscurè tulisti. Nã vt iis qui honestè rẽ quærunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quæsito: sic qui videt domi tuæ pariter accusatorũ atq; iudicũ consociatos greges, qui nocentes & pecuniosos reos eodẽ te authore corruptelã iudicij moliẽtes, qui tuas mercedũ pactiones in patrociniis, intercessiones pecuniarũ in coitionibus candidatorũ, dimissionésq; libertorũ ad fœnerandas diripiendásque prouincias, qui expulsiones vicinorũ, qui latrocinia in agris, qui cũ seruis, cũ libertis, cũ cliẽtibus societates, qui possessiones vacuas, qui ꝓscriptiones locupletũ, qui cædes municipiorum, qui illã Syllani tẽporis messẽ recordetur, qui testamenta subiecta, qui sublatos tot hoĩes, qui deniq; omnia venalia, delectũ, decretũ, alienã, suã sententiã, forũ, domũ, vocẽ, silentiũ: qs hũc nõ putet cõfiteri sibi quæsito opus esse? Cui autẽ quæsito opus sit, quis vnq̃ hũc verè dixerit diuitẽ? Est enim diuitiarũ fruct⁹ in copia: copiã autẽ declarat satietas rerũ atq; abũdãtia, quam tu (qm̃ nunq̃ assequêre) nunq̃ omnino es futurus diues.

per signa, quæ sunt auari, & plura cupiẽtis.

Deinde subiungit expolitionẽ argumẽtatiõis.

Fictũ exẽplũ à pari, diuitiarũ modum vsu, nõ cupiditate metiendum esse.

Conclusio.

Probat ex Crassi cõfessione illũ plura cupere. Et vide quomodo cõtinuet vnã argumẽtationem ex alia. Nã hæc velut noua adsumptio est ex priori argumentatione, qua ꝓbauit diuitẽ nõ esse, qui plura cupiat, ac proinde nec Crassum diuitem esse. Illam igitur tanquã fundamentum cõstituit ex defensione diuitiarum, ex qua hanc deinceps deducit.

Declarat rẽ admixta similitudine.

Dimißiones, in diuersum mißiones.

Conducit argumentationẽ, & concludit.

Præmunitio ad exemplorũ collatione, cur nõ de sua pecunia, sed de Crasso loquatur. Nã præcedẽti argumẽtatiõi excẽpla subiungit. Confert autẽ cõtinentiæ exẽpla cũ pecuniosis, & cũcta in Crassũ dicit, reprehendẽs pecuniarũ cupiditatẽ, & cõtinentiã anteponens.

Meam autem quoniam pecuniam cõtemnis, & rectè (est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica) de me silebo, de te loquar. Si censenda nobis, atque æstimanda res sit, vtrum tandem pluris æstimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabritio dabat, an continentiam Fabritij, qui illam pecuniam repudiabat? Vtrum aurum Samnitum, an respõsum M. Curij? hæreditatẽ L. Pauli, an liberalitatẽ Africani, qui eius hæreditatis Q. Maximo fratri partem suã concessit? Hæc profectò quę sunt summarum virtutũ, pluris æstimanda sunt, quàm illa quæ sunt pecuniæ. Quis igitur (si quidem vt quisq; quod plurimi sit possideat, ita ditissimus habendus sit) dubitet, quin in virtute diuitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri, & argenti, pluris, quàm virtus æstimãda est?

Epiphonema, ex quo concludit.

O dij immortales, non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit parsimonia.

Trãsit ad sumptuosos, & cũ frugalibus confert, probãs frugalitatẽ immoderato sumptu potiorem esse.

Venio enim ad sumptuosos, relinquo istum quæstuosum. Capit ille ex suis prædiis sexcẽta sestertia, ego centena ex meis. illi aurata tecta in villis, & sola marmorea, facienti: & signa, tabulas, supellectilem, & vestem infinitè concupiscenti, non modò ad sumptum ille fructus est, sed etiã ad fœnus, exiguus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.

Conclusio per contentionem.

Vter igitur est ditior cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cuius possessio quò est maior, eò plus requirit ad se tuẽdam, an quæ suis se viribus sustinet?

Correctio per reprehẽsionẽ, qua trãsit ad firmius exemplum.

Sed quid ego de me loquor, qui morũ ac temporum vitio aliquãtum etiam ipse fortasse in huius seculi errore verser?

Collatio, cui subiungit expolitionem sententiæ.

M. Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios, & Lucinios loquamur) pauper tandẽ fuit: habuit enim ędiculas in Carinis, & fundum in Labicano.

Cõparatio à minori, quæ ex proprio bonorũ ducitur.

Nos igitur ditiores, qui plura habemus? Vtinam quidem essemus. Sed non æstimatione census, verũ victu atque cultu terminatur pecuniæ modus.

Redditio cũ expositione, qua hoc paradoxum concludit.

Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. Cõtentum verò suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Etenim si isti callidi rerum æstimatores prata & areas quasdam magni æstimant, quòd ei generi possessionum minimè quasi noceri potest: quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vnquam, neq; nau-

fragio, neque incendio amittitur, nec tempestate, nec temporum permutatione mutatur? Qua qui præditi sunt, soli sunt diuites. soli enim possident res & fructuosas & sempiternas: solique (quod est proprium diuitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse putant quod est, nihil appetunt, nulla re egẽt, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem & auari, quoniam incertas, atque in casu positas possessiones habẽt, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis: non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

SYLVIVS. Hoc quoque paradoxon Socraticum est. Socrates enim apud Platonem in Phædro deos orat vt sapientem solum diuitem existimet. Idem rogatus an quisquam Crœso, qui regum omnium opulentissimus erat, beatior esset, nescire se quantum haberet virtutis respondit. Significabat enim ne diuitem quidem eum esse, nisi sapiens esset: Authore Valerio Maximo libro septimo de sapienter dictis & factis. Gyges regno Lydiæ armis & diuitiis abundantissimo inflatus, Apollinem Pythium sciscitatum venit, an quisquam mortalium se esset felicior. Deus ex abdito sacrarij specu voce missa Aglaum Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate iam senior terminos agelli sui nunquam excesserat, paruuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus. In hoc autem paradoxo primùm Cicero probat eum esse diuitem, non qui multa possideat, sed qui suis rebus contentus sit: deinde eum verè diuitem esse, qui virtutem habeat.

Quæ est ista.) Ad M. Crassum diuitem verba dirigit. Illud paradoxon sapientem esse diuitem Crassus ita deflectebat, vt diceret eum qui diues esset, sapientem esse. Quum igitur Stoicos placere sibi diceret, quòd bonum virum sapientem diuitem esse ostenderent, Vide, inquit Cicero, ne illud magis ostenderent, omnia in sapiente sita esse. Crasso enim auaritiæ macula inusta erat. Author est Plutarchus in vita Ciceronis. Cicerone authore in libro de Finibus tertio, vt antè diximus, rectius sapiens appellabitur diues quàm Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli caussa transire voluisset. Ad hunc Crassum pertinere possit illud, quod multò antè scripserat Cato de liberis educandis, vt est apud No. Marcellum: Perspicuum est maiorem curam habere nos marsupij, quàm vitæ nostræ. Tam insolens ostentatio.) Solent qui diuites sunt & gloriosi, diuitias suas ostentare. Memorabile est illud Valerij Max. lib. 4. de paupertate. Cornelia, inquit, Gracchorum mater, quum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima seculi illius ostenderet, taxat eam sermone, quousque è schola redirent liberi. Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, vt idem ibidem dicit, qui nihil concupiscit, eo quidem certius, quàm qui cuncta possidet, quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Audisse.) à præceptoribus, & præcipuè Stoicis. Stoicum Diodorum Cicero audiuit. Isque in domo Ciceronis mortuus est, vbi habitauit & vixit: vt ait idem Cicero de claris Oratoribus. Liberaliter.) id est, honestè, & sine cuiusquã iniuria. Itaque nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Hominum sermo) id est, fama hominum de te. Nullum quæstum turpem putas.) M. Crassus virtutes, quas habuit plurimas, vnius auaritiæ sordibus obscurauit. Hoc enim præcipuum in ipso vitium

M. Crassus diues an fuerit.

Cicero audiuit Diodorum.

Crassi auaritia.

cætera quæ in ipso fuerunt, longè superauit. Huius rei clarißimum testimoniū præbet magnitudo diuitiarum, quas breui admodum tempore sibi comparauit. Author est Plutarchus in principio vitæ M. Craßi, vbi ascribit quàm iniustè tantas diuitias comparauerit.

Isti ordini.) Senatorio, ex quo tu es. Authore T. Liuio lib. 22. Q. Claudius Tribunus plebis legem tulit, ne quis Senator, quíve Senatoris pater fuisset, maritimam, nauem, quæ plusquam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. His verbis significat mercaturam, omnémque alium quæstum Senatori turpem esse.

Senator ne sit mercator.

Paciscens) iniustè scilicet. Socios) populi Rom. aut tuos, quibuscum societatem coisti. AErarium expilas.) M. Crassum suo & Pompeij consulatu tertio rapuisse duo millia pondo auri è Capitolino Iouis solio, à Camillo ibi condita, Plinius author est cap. 1. lib. 33. Vt ne ærario quidem abstinuisse credas, qui tali sacrilegio se obstrinxerit. Si testamenta amicorum ne expectas quidem, at ipse supponis.) In codice antiquo melius scriptum mihi videtur ad hunc modū: Si testamenta amicorum expectas, atque te ipse supponis. Apud Vallam lib. 6. ita lego, Si testamenta amicorum expectas, ac ne expectas quidem, atque ipse supponis. Hæc lectio mihi videtur melior, si loco Atque, Sed scriberetur. Supponere, est falsum & adulterinum loco veri subiicere: vt quum quis matri sublato filio, eius loco alium, vt ita dicam, reponit, partum supponere dicitur. Inde supponere testamentum, est falsum pro vero subiicere. Et supposita persona, quum quis alium se esse simulans, eius nomine testamentum, aliúdve quid facit: vt apud Ciceronem pro A. Cluentio, Aiulius Asinium se esse simulans, eius nomine testamentum fecit. De eo illud eiusdem Ciceronis in eadem oratione, Dum verò eum fuisse Opianicum constabit, qui tabulas publicas municipij sui corrupisse iudicatus sit, qui testamentum interleuerit, qui supposita persona falsum testamentum obsignandum curarit. Virgilius in libro AEneid 6. de Pasiphaa in tauro ligneo inclusa, quam pro vacca taurus iniuit, - Suppostáque furto Pasiphae. Quum testamentorū libertas esset, multorum amicorum hæres M. Crassus factus est. Multis item testamentis hæres suppositus est, vt author Cicero est lib. de Offic. 3. L. Minutij Basilij locupletis hominis falsum testamentum quidam è Græcia Romam attulerunt. quod quò facilius obtinerent, scripserunt hæredes secum M. Crassum & Q. Hortensium ætatis eiusdem homines potentißimos. Qui quum illud falsum suspicarentur, sibi autem nullius essent conscij culpæ, alieni facinoris munusculum non repudiauerunt. Inanem.) id est vacuum, non plenum, non satiatum. Sat est) ad tuendam rem familiarem. Opus est enim maiore pecunia, qui duas plurésve filias habet, quàm qui nullam. Si habeat quantū satis est ad earum dotem, sitque contentus, diues est. Vt aiunt.) id est, vt in fabulis est, Danao Belli filio quinquaginta filiæ, eiúsque fratri AEgypto filij totidem fuisse dicuntur. Quæ breui tempore maximas copias, &c.) Luxuria, ebriositas, ambitio, largitio, quam prodigalitatem appellant, diuitias maximas breui tempore exhaurire possunt. Neminem esse diuitem.) In eandem sententiam illud Ciceronis ex libro de Officiis primo est, Nuper M. Crassus negabat vllam satis magnam pecuniam esse ei qui in Repub. princeps vellet esse, cuius fructibus exercitū alere non posset. Hoc dictum Craßi Plutarchus in eius vita memorans, Bellicorum, inquit, sumptuum nullus est modus, nulla mensura bellum nutritur, vt inquit Archidamus. Authore Plinio cap. 10. lib. 33. M. Crassus in agris suis sestertiûm xx. millia possedit, Quiritum post Syllam ditißimus. Nec fuit satis, nisi totum Parthorū esurisset aurum. Quid.) id est, alere exercitū suis fructibus. Reficiatur.) id est, conficiatur tantum pecuniæ. Tueri.) i. vt vulgò dicunt, intertenere, vt tueri domum, familiam, aliáque generis eiusdem dicimus.

Supponere quid.

Danai filiæ.

Craßi dictum de diuite.

Tueri sex legiones.) Plinius in eo loco cuius nuper mentionem feci, Crassum dicit negasse

diuitem, nisi qui reditu annuo legionẽ tueri posset. Si locus hic emendatus est, significat Cicero in Romano exercitu sex legiones esse solitas. Verũ apud T. Liuium sæpe inuenire licet legiones quatuor fuisse in exercitu cõsulari, vt lib. 8. T. Mãlio in bello Latino, legiones quatuor, lib. 21. T. Sẽpronio Lõgo duæ, & P. Cornelio Scipioni totidem datæ sunt, quum hi ad sustinendum Annibalis aduentum mitterẽtur. Lib. 22. quum Qu. Fabius dictator cum Minutio partitus exercitum est, ei legiones duæ, & Minutio totidem obtinuerunt. Eo tempore legio habebat quatuor millia peditum, & trecentos equites, eósque omnes ciues Ro. postea C. Marius adiecit duo millia, & ducentos pedites. Scribit Vegetius in lib. 2. se in omnibus authoribus inuenisse singulos consules aduersus hostes copiosissimos non amplius quàm binas legiones additis auxilijs sociorum duxisse. Idẽ paulò antè scribit auxilia à socijs, vel fœderatis gẽtibus mitti solita. Auxilia autem pro auxiliaribus militibus, vt ministeria & seruitia pro ministris & seruis dici sæpe inuenias. *Vel potius egestatem.)* Correctio est. *Paupertas nonnunquã honesta est, egestas verò semper turpis. Apud Vergil. lib. Aeneid. 6. Turpis egestas in vestibulo inferorũ habitat.* *Nunq̃ obscurè).i. semper palã, vt ijs qui honestè rem quærunt. A contrario arguit.* *Rem quærunt.).i. diuitias acquirunt.* *Mercaturis faciendis.).i. mercaturas faciendo intelligimus opus esse quæsito. Mercaturas facere dicit, pro eo quod vulgò dicunt, mercaturã exercere. vt act. in Verrẽ 7. Alios qui à prædonibus erant capti, quum mercaturas facerent, vt aliquando ob caussam nauigarent, sua voluntate cum piratis fuisse arguebat.* Operis dandis.).i. operas suas locando. *Publicis sumendis.) id est, conducendo vectigalia pop. Ro. vt faciebant Publicani, quos honestißimos homines atque ornatißimos Cicero appellat pro lege Manilia.* *Nocẽtes & pecuniosos.) vtrunque valet ad iudicum corruptelam. Nam qui innocens est, Iudices non vult corrumpere: qui pecuniosus nõ est, nõ potest. Vtrunque expreßit Cicero act. in Verrem 2. Inueterauit, inquit, iam opinio perniciosa Reip. vobísque periculosa, quæ non modò Romæ, sed & apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his iudicijs, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quanuis sit nocẽs, neminem posse damnari.* *Corruptelã.) Id vsitatè dixit: corruptio autem vix Latinè dicitur, vt lib. de Legibus 1. Tantam autẽ esse corruptelam malæ consuetudinis, vt ab ea tanquã igniculi extinguantur à natura dati.* *Qui tuas mercedũ pactiones in patrocinijs.) M. Crassus orator fuit, multorum caussas etiam cum Cicerone defendit: vt L. Murenæ, & L. Cornelij Balbi. Idẽ Crassus improborum hominum patrocinia suscipere solebat, vt ait Sallustius in Catilina. Lege autem Cintia, pœna statuebatur aduersus eos qui precio caussas orauissent, vt scripsimus in cõmentari. in Catonem Maiorem Ciceronis.* *Intercisas.) id est, interpositas, aut definitas: pecuniarum pactiones scilicet.* *In concionibus candidatorum.) Quæ sint illæ candidatorum conciones, legere non memini.* *Dimißiones libertorum.) id est, quòd libertos tuos dimiseris, id est, in diuersas prouincias miseris.* *Ad fœnerandas diripiendásque prouincias.) Fœnerari prouinciam nouè dictum est, quanuis fœnerari pecuniam & beneficium alibi dicat Cicero. Vt Act. in Verrem 4. Idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fœnerabatur. Et in lib. de Amicitia, Neque enim beneficium fœneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus.*

Legiones quot in exercitu.

Legio quid.

Mercaturã facere.

Corruptela.

Fœnerari prouinciam.

Societates.) De societatibus ijs quæ in negociationibus coiri soleant, est in lib. Institut. Iustin. 3. *Posseßiones vacuas.) vnde eiecti domini sunt, præcipuè in furiosa illa & inhumana Syllæ proscriptione.* *Proscriptiones locupletum.) Quum Sylla victor proscriberet eos, qui Marianas partes secuti fuerant, multos ex locupletibus simul proscripsit, vt eorum bona publicarentur. Qu. Aurelius nullis se negocijs implicans, forum ingressus proscriptorum nomina legebat, in quibus quũ seipsum cõperisset, Albana, inquit, villa me pscripsit.*

Proscriptio Syllæ.

Qu. Aurelius.

I

Paululum progressus iugulatus est. Author est Plutarchus in vita Syllæ. Qui cædes municipiorum.) Non Romanos solùm proscripsit Sylla, sed etiam in municipia, colonias, præfecturas Italiæ sæuiit, quæ aduersas partes adiuuerant. Aliorũ enim oppidorum arces demoliebatur, aliorũ muros euertebat, aliis publicã multam imponebat, alios tributis grauioribus opprimebat, vt author est Appianus libro de bellis Ciuilibus 1. Aut, cædes municipiorum, id est, municipũ, vt sit intellectio. Qui illam Syllani temporis messem recordetur.) Quum Sylla ciuium Romanorum bona vendens suam se prædam vendere diceret, M. Crassus ex iis permulta paruo emit. Quum idem Sylla magnã vrbis partem incendio vastasset, areas multas, earũ domini partim egestate compulsi, partim nihil audentes petenti negare, Crasso vendiderũt exiguo precio. Qua ratione magnã vrbis partẽ emit. Seruos ad quingẽtos emit fabrilis artis & architecturæ peritos, quibus ad domos in areis vacuis ædificãdas vteretur: quorum operas locabat iis qui à se areas emerant. Hac ratione grandem pecuniã sibi cõparauit. Amplius hæc Plutarchus in vita Crassi. Messem.) Metaphora est ad augendam inuidiam. Vt enim segetes secantur in messe, ita in Syllæ proscriptione ciuium colla secabantur. Subiecta.) id est, supposita & falsa. Sublatos.) id est interfectos. Delectum.) militum scilicet. Decretum.) Senatus. Est enim ad vulgi opinionẽ mediocris.) Ciceroni multas fuisse diuitias, sed eas iniustè partas obiecit Sallustius. Eius ad maledicta Cicero respondens, amicorũ testamentis se factum dicit locupletiorem. Pecuniam Pyrrhi.) Pyrrhus quum in Italia bellum gereret cum Romanis, Legatum Cyneam Romam misit. Is vbi rediit, Fabritij apud Romanos dignitatem esse maximam, vt viri boni, bellatoris egregij, sed vehementer pauperis Pyrrho retulit. Fabritio postea misso ad Pyrrhum legato de captiuis redimendis, Pyrrhus ipse seorsum blanditus, vt à se pecuniam acciperet, hortabatur, non ob turpem aliquam caussam, sed vt amicitiæ atque hospitalitatis monimentum esset. Eam Fabritius prorsus renuit, vt ait Plutarchus in vita Pyrrhi. An responsum M. Curij.) M. Curius, qui ferocissimas gentes subegerat, qui Pyrrhum ex Italia eiecerat, qui ter triũphauerat, agellum quendã possedit, vbi domũcula fuit. Ibi cùm ad focum sederet & rapam torreret, aurum quod Samnitum Legati dono offerebant, repudiauit. Iis auro opus esse negauit, quibus huiusmodi cœna satis esset, quíque aurum habentibus imperare, quàm aurum habere longè pulchrius iudicarent. Author est idem Plutarchus in vita Catonis Maioris. Authore Plinio cap. 3. lib. 18. M. Curius post triũphos, immensúmque terrarum adiectũ imperio pro cõcione dixit, Perniciosum intelligi ciuem, cui septem iugera nõ essent satis. Idem iurauit se ex præda nihil attigisse præter guttum faginum, quo sacrificaret, vt ait idem cap. 39 lib. 16. Manium non Marcum hunc idem solet appellare. authore Sex. Pompeio. Manius prænomen est, dictum ab eo quòd mane quis initio natus sit, vt Lucius, qui luce. Illud M. Varronis quod est apud No. Marcellum de iis qui paruo contenti, sed boni viri erant, ascribendum mihi visum est. Aui, inquit, & ataui nostri, quum allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant. L. Pauli Æmilij.) qui Cos. item Persen Macedoniæ Regem vicit, de eóque triumphauit. An libertatem.) liberalitatem legi oportet. Africani.) Scipio Africanus minor L. Pauli filius à P. Scipione Africani maioris filio adoptatus est. Itaque Scipio adoptatus est, quemadmodum eius frater Q. F. Maximus appellatus est, quòd in Fabiorum familiam adoptatus sit. Iure enim ciuili Romanorum, qui adoptabantur, in familiam & nomen familiæ adoptabantur.

Q. Maximo fratri.) Huius Scipionis liberalitatem in sorores Cicero commendat in libro de Amicitia, Quid, inquit, dicam, de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in sorores? bonitate in suos? iustitia in omnes? Hic Q. Maximus à deuictis Allobrogibus,

Ciceronis diuitiæ.

Fabritij laus.

M. Curius.

Manius.

Scipio minor.

Q. Fabius Allobrogicus.

Allobrogicus cognominatus est, qui primus omnium Romanorum argenti mille pondo habuit, vt ait Plinius cap.11.lib.13. Summatrũ virtutum.) vt abstinentiæ & liberalitatis. Quàm magnũ vectigal sit parsimonia.) Idem scripsit Cicero in libro de Rep. quarto, vt est apud No. Marcellum: Optimũ, inquit, & in priuatis familiis, vt in re publica vectigal duco esse parsimoniã. Istum quæstuosum.) M.Crassum. Ille.) id est aliquis sumptuosus. Capit, id est, percipit. Sexcenta.) Valla lib.3. putat scribendũ sexcena: ego verò sexcentena. Centena.) id est, quotannis centum sestertia. In illis.) prædiis. Sola.) id est, pauimenta. Ea facienti.) id est, villas in prædiis tam sumptuose ædificanti. Vestem.) id est, vestes. In hac re singulare pro plurali sæpe dici inuenire licet. Infinitè.) id est, infinitum. Qua voce alibi quoque vsus Cicero est: vt lib. Academicarum 1. Eóque etiam interire non in nihilum, sed in suas partes quæ infinitè secari atque diuidi poßint: quũ sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod diuidi nequeat. Quæ autem moueantur, omnia interuallis moueri, quæ interualla etiã infinitè diuidi poßint. Et lib. de Oratore ad Brutum, Ne infinitè feratur, vt flumen oratio. Non modò ad fructũ.) Sententia est, Ille sumptus sexcentum sestertiũm, qui in tectis auratis, solis marmoreis, aliisque rebus insumitur, exiguus est & ad victũ, & ad fœnus, vnde lucrũ percipi poßit, id est, tanti reditus parui sunt homini sumptuoso. Ex meo tenui vectigali.) Nam etiã priuata vectigalia sunt. Detractis sumptibus cupiditatis.) Nullos enim sumptus facio, ad quos vlla impellat cupiditas. Aliquid etiã redundabit.) Itaque exiguum non est ad fructum & ad fœnus. Ad se tuendam. i. vt vulgò dicunt, ad se intertenendã. In ea re tueri à Cicerone sæpe dici inuenias. Huius seculi.) i. huius temporis, quo diuitiæ à bonis quoque expetũtur. M. Manilius.) Is est qui cũ Africano minore, Lælio, Philo, Scæuola, aliísq; disputat de Rep. in libris quos de Rep. Cicero conscripsit, qui tẽporum iniuria nõ extant. Licinios.) Lucinos legi oportet. C. enim Lucinus Fabritius appellatus est. Ab alijs tamẽ Luscinus, ab alijs Luscinius appellatur. In Carinis.) Carinæ vicus erat vrbis Romæ. In Labicano.) Labicanum, nõ Lauicanum dici scripsi pro Cn. Planco: à Labico vetusto oppido, quod prope Tusculũ fuit, non procul ab vrbe Roma Labicanum dictũ est. Idque pro prædio Labicano. vt Tusculanum, Põpeianum, Formianum, aliaq; eiusdẽ generis. Quid si in Vaticano, non in Labicano legas? Agrum enim Vaticanum Romæ proximum fuisse accepimus. Cuius de appellatione est apud A. Gellium lib.16. Census.) i. diuitiarum: vt apud Iuuenalem Satyra 14. Misera est magni custodia census. In hac re census sæpe dicitur. Census adiectiuum pro diuite & pecunioso dicitur, vt in lege Voconia, Ne quis homo census vnicam habens filiam eam hæredem relinqueret. Victu atque cultu.) id est, cùm ad victum & cultum satis est.

Parsimonia magnum vectigal.

Infinitè.

Tueri.

M. Manilius.

Carinæ.

Vaticanum.

Census.

Modus.) i. mensura. Emacem.) eorum quæ ad cultum, victum & sumptũ pertinent. Quum enim hæc domi habentur, magnum vectigal est. Emax autem qui solet emere, vt vendax qui solet vendere, dicitur. M. Cato de re Rustica, Patrẽfamiliâs vendacem non emacem esse oportet. Inde emacitatem Columella dixit lib. quarto: Quosdam emacitas in armentis, quosdam exercet in comparandis mancipijs. Hæc autem vocabula in ax, habitum quẽdam significant, cuiusmodi sunt, audax, edax, vorax, bibax, furax. Callidi.) id est, sagaces, experientes & prudentes. Prata.) Prata magno ab antiquis existimata fuere, quibus nõnulli in bonis dãt primatum, itaque antiqui ea parata appellauerunt, vt ait M. Varro lib. de re Rustica primo. Eorum facillima agricolis cura ac minimi impendij est, vt ait Plinius cap.28. libri decimioctaui. Itaque M. Cato maior interrogatus quis esset certißimus quæstus, respondit, Si bene pascat, id est, si bona prata paterfamiliâs habeat. Areas quasdam.) Authore Sext. Pompeio, area propriè dicitur locus vacuus, id est, sine ædificio, quasi

Emax.

Vendax.

Emacitas.

In ax terminata.

Prata.

Area.

exaruerit, & non poßit quicquam regenerare. Huiuſmodi areæ in quibus ædificaretur aptæ erant: & nonnullæ magno vendebantur. Vt authore Plutarcho M. Craſſus poſt L. Syllæ crudelitatem areæ ſpatium ad ædificandum vnicuique pro arbitrio ſuo vendebat. C. Cæſar, vt in eius vita ſcribit Suetonius, forum de manubijs inchoauit, cuius areæ ſuper ſeſtertiûm millies conſtitit. Ab huius areæ ſimilitudine area appellata eſt, vbi frumenta ſecta terantur & areſcãt. Ea qua ratione fieri ſolita ſit, M. Cato & M. Varro lib. de re Ruſtica 1. & lib. 2 ſcripſerunt. Huiuſmodi areas locari ſolitas, indeque magnum quæſtum fieri Calepinus dicit, ex quibus locum hunc intelligendum putat. Huiuſmodi areas quidam lapidibus muniebant, quidã etiam tegebant. Magni æſtimant.) Quãuis ita in omnibus exemplis, quæ in manus peruenerint, legam, magno tamen non magni legendũ putem. Vt apud Virgiliũ, Magno mercentur Atridæ. Paruo enim & magno adiungi ſolent cũ verbis emere, vendere, æſtimare, aliúdve quid huiuſmodi ſignificantibus. Minimè quaſi noceri poteſt.) Columella lib. 2. Neceſſarius, inquit, cultus prati eſt, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. Nomen quoque indiderunt ab eo, quod protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. M. quidem Porcius & illa commemorauit, quod nec tempeſtatibus affligeretur, vt aliæ partes ruris, minimique ſumptus egens per omnes annos præberet reditum, neque eum ſimplicem, quum etiam in pabulo non minus præberet, quàm in fœno. Appetunt.) ſine ratione.

Pratum vnde dictum.

BETVLEIVS. In hoc paradoxo enarrãdo ero breuior, quia video nihil mihi ab ijs qui antè tractarunt, eſſe relictũ. Nã ſi locorũ & hiſtoriarũ collationem deſideras, Syluiũ inuenies ſyluoſum: ſi emẽdationẽ lectionis, Moriſotus eſt oculatißimus: ſi artẽ, Latomus pro more τεχνικώτερος *eſt. Hoc* παράδοξον *linguis hominũ parũ eſt paradoxon, mentibus verò* παραδοξότατον. *Socraticum eſſe, Syluius ſatis luculenter probat. Habẽt hoc Stoici cum Cynicis cõmune. Laert. in vita Menedemi, Diogenis dictũ refert,* ὃς ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων ὀλίγων χρῄζειν. *Citatur Muſonij dictum:* τῶν μὴ χεῖρον καὶ κύρου θησαυρῶν πενίαν ἐσχάτην καταψηφίσμεθα, ἕνα δὲ καὶ μόνον πιστεύομεν εἶναι πλούσιον καὶ σοφὸν, τὸν δυνάμενον κτήσασθαι τὸ ἀνενδεὲς πανταχοῦ. *Conſentit philoſophia Chriſti. Eſt autem huius quoque paradoxi (vt ſuperiorũ) quæſtio, An ſit. & argumenta potißimũ ab attributo petũtur ex loco definitionis & ſignorũ. Cõuertit & hîc theſin in hypotheſin, vt fiat res, propoſito exẽplo, illuſtrior: in quod ſine exordio, pro more, irrumpit, ſatíſque ſtomachabundus, nõ (vt quibuſdã videtur) decori perſonæ oblitus, qui tãta indignatione cõmouetur, ſed decori maximè obſeruans, cũ Cynicorũ ſit nõ dicere, ſed latrare. Notatur autẽ, vt omnes interpretes conſentiunt, Craſſus, cuius diuitiæ prouerbiali hyperbolæ locum fecerunt, vt ſi quem prædiuitẽ dicere volumus, dicamus Craſſo ditiorem. Egóne me audiuiſſe.) Scio quid alij hîc dicant: ſed Cicero videtur hoc loco Craßi diuitijs ſuam opponere eruditionem, quam ipſius opulentia precioſiorem iudicat. Solúſne.) Licet, Plinio teſte, poſt Syllã Quiritum ditißimus fuit: recenſet tamen ibidem Plin. longum Quiritum diuitum catalogum. numerat exterorum etiã Textor, in ſua Textrina. Nõ inuehitur Cicero in diuitiarũ poſſeßionem, ſed in earundẽ inanem oſtentationẽ. Verũ hoc interim mirũ videri poteſt, quomodo* τὴν ἀναισχυντίαν καὶ τὴν μικρολογίαν *.i. impudentiã & tenuitatem importunam Craſſo attribuat, cui tribuit* τὴν περιεργείαν *.i. oſtentationem, cũ tantũ non hæc inter ſe ex diametro pugnent. Aut quomodo poteſt magnificentia cũ ſordibus cõuenire? Poteſt optimè, quod corruptißimi huius mundi mores oſtẽdunt. Oſtẽdunt potentũ & mercatorũ noſtrorũ mores, qui minutißima quæq; ſectantur (ne quid grauius dicam) vt poßint in mundo ſplendere: in res inanes plus ſatis ꝓdigi, in res honeſtas quouis Euclione tenaciores. Quid ſi pauper etiã.)*

Hos μεγαλοπτώχους *opinor nominat.* *Quem enim intellig.) Iam vrget definitionẽ, sed Stoicam. Cic. ad Trebatium lib. 7. differentiã ponit inter ciuiliter diuitem, & inter Stoicè diuitẽ, his verbis: Balbus mihi cõfirmauit, te diuitẽ futurum. id vtrũ Romano more locutus sit, bene nũmatum te futurũ: an quomodo Stoici dicunt, omnes esse diuites, qui cœlo & terra frui possunt.* *Fraudas.)* συναθροισμός. *Aerarium.) Vide quæ Syluius ex Plinio annotarit.* *Testamenta.) De hoc in Off. diximus.* *Etenim ex eo.)* ἀπολογία. *Atqui ostendã Maioragio, paradoxũ hoc planè Socraticum esse. In 4. de dictis & factis Socratis apud Xenophontẽ, insignis locus est, vbi cũ Euthydemo disputat in hunc modũ: Cũ verò ciuitati præesse, in qua populus dominatur, cupis, certò scis, quídnã populi dominium sit. Omnino sanè, inquit. Sciréne igitur posse tibi videtur, quid populi dominium sit, qui populũ ignoret? Minimè, inquit Euthydemus. Soc. Ecquid arbitraris populum esse? Illos ciuiũ, inquit, qui pauperes sunt. Scis ergo, ait, quínam pauperes sunt? Cur nõ? inquit. Num etiã diuites, ait, cognoscis? Nõ minus q̃ pauperes, inquit. Et quos pauperes, ait, quósve diuites appellas? Illos, qui nõ habent, quæcunq; eis ad illa sufficiãt, in quibus cõtribuendũ sit, pauperes: qui verò plusquam sufficiat, habeant, diuites. Cogitastíne vnq̃, ait, ô Euthydeme, quosdam cũ valde pauca habeant, non solũ satis habere, sed etiã suprà abundare? quibusdam verò nec valde multa sufficere? Valde mehercle, inquit. Recte nanq; ad memoriã mihi reduxisti. Quosdã nanque tyrannos scio, qui propter indigentiã, tanq̃ egeni, iniuriam inferre alijs coguntur, &c. quæ apud Bessarionẽ sequuntur. Sed propter* φιλέλληνας *ipsius Xenophõtis verba huc ponemus:* ἐπεὶ δὲ πόλεως δημοκρατουμένης παρασκευάζῃ προεστάναι, δῆλον ὅτι δημοκρατίαν γε οἶδα τί ἐστιν; πάντως δήπου, ἔφη. δοκεῖ οὖν σοι δυνατὸν εἶναι, δημοκρατίαν εἰδέναι, μὴ εἰδότα δῆμον; μὰ Δί' οὐκ ἔμοιγε. καὶ τί νομίζεις δῆμον εἶναι; τοὺς πένητας τῶν πολιτῶν ἔγωγε. καὶ τοὺς πένητας ἄρα οἶσθα; πῶς γὰρ οὔ. ἆρ' οὖν καὶ τοὺς πλουσίους οἶσθα; οὐδέν γε ἧττον, ἢ καὶ τοὺς πένητας. ποίους δὲ πένητας, καὶ ποίους πλουσίους καλεῖς; τοὺς μὲν οἶμαι μὴ ἱκανὰ ἔχοντας εἰς ἃ δεῖ τελεῖν, πένητας. τοὺς δὲ πλείω τῶν ἱκανῶν, πλουσίους. καταμεμάθηκας οὖν, ὅτι ἐνίοις μὲν πάνυ ὀλίγα ἔχουσιν, οὐ μόνον ἀρκεῖ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ περιποιοῦνται ἀπ' αὐτῶν. ἐνίοις δὲ πάνυ πολλὰ οὐχ ἱκανά ἐστι; καὶ νὴ Δί', ἔφη ὁ Εὐθύδημος. ὀρθῶς γάρ με ἀναμιμνήσκεις. οἶδα γὰρ καὶ τυράννους τινὰς, οἳ δι' ἔνδειαν, ὥσπερ οἱ ἀπορώτατοι, ἀναγκάζονται ἀδικεῖν. *Vt verò videamus q̃ cum Christiana doctrina hoc* παράδοξον *cõiunctum sit, adscribã etiam Eusebij sententiam:* πλούσιον χρὴ νομίζειν τὸν ἡγούμενον ἔχειν τὰ ἀρκέοντα. τὸν δὲ ἀεὶ ἐπιθυμέοντα προσκτήσασθαι, καὶ πληθώρην μηδέποτε τοῦ βιοῦντος λαμβάνοντα, καὶ εἰ Μίδου πλουτέοι μᾶλλον, πένητα καλέω, καὶ ἴρον. *Filiã quis habet.) Plato de LL. 5. prohibet, ne liberorũ causa colligamus pecuniarũ thesauros, sed pudoris. Verũ nolo in hoc amœno quidẽ, sed tamen parergo loco, diutius cõmorari.* *Danai.) Per antonomasiã,* πολυτέκνου *alicuius. Neque enim fabulæ locus hîc est, quæ à Boccatio narratur lib. 2. cap. 22. cũ tribus sequentibus. Qui licet illarum nomina, præter trium, ignorari scribit, nominat tamen ipsas Higinus Fab. 170. vnà cũ suis maritis, ex patruo Aegypto, seu Aegistho patruelibus, quos singulos singulæ occiderunt. Dicuntur Belides, à Belo auo: Danaides, à patre. Vide ad hæc quæ Germanicus Cæsar apud Aratum in Argo naui annotarit, & Cõmentator Homericus Iliad. α. Meminit & Pindarus ode Pyth. 8. Nemeorũ 10.*

Quantũ enim cuique.) Seneca lib. Epist. 1. Epist. 4. Magnæ diuitiæ, sunt lege naturæ cõposita paupertas. Lex autẽ illa naturæ, scis quos nobis terminos statuit: Nõ esurire, nõ sitire, nõ algere, vt famẽ sitimq; depellas. Nõ est necesse superbis, &c. *Multi ex te.) Fortissimum argumentũ est, à cõfessis nõ extortis, siue ab antè dictis. & si testimonia valent, sua cuiusque maximè valet.* *Neminẽ esse diuitẽ.) Plutar.* ἐκεῖνος δὲ οὐκ εὖ, τὸ μηδένα νομίζειν, μηδὲ φάσκειν εἶναι πλούσιον, ὃς οὐ δύναται τρέφειν ἀπὸ τῆς οὐσίας στρατόπεδον. ὁ γὰρ πόλεμος οὐ τε-

ταγμένα στέῃ, κατὰ τὸν ἀρχίδαμον, ὥσθ' ὁ πρὸς πόλεμον πλοῦτος ἀόριστος, καὶ πολὺ τῆς μαρίου γνώμης ἀπηρτημένος. ἐκεῖνος γὰρ ἐπεὶ κατ' ἄνδρα νείμας ἑκάστῳ δέκα καὶ τέσσαρα πλέθρα γῆς, ἔγνω πλέον ἐπιζητοῦντας. μηδεὶς, ἔφη, γένοιτο ῥωμαίων, ὀλίγην ἡγούμενος τὴν τρέφειν ἀρκοῦσαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ περὶ ξένους ἦν φιλότιμος ὁ κράσσος. *Sex legiones.) Apud Plin. lib. 33. cap. 10. vnā tantùm legionem, non totum exercitum posuit, sed nos in 1. Off. vbi eiusdem dicti mentio fit, nõnihil diximus. Qui possessiones vacuas.) Quibus artibus Crassus diues factus sit, Plutarchus in eius vita diligēter memorat passim, inter quas, præcipuas quasdam ponit: nempe, ædes incendio absumptas emit quàm potuit minimo, scribas & varios artifices quàm plurimos ad quæstum aluit: emit bona proscriptorum publicata precio minimè magno: &, vt alibi idem Plut. tradit, à virgine quadam Vestali blanditijs extorsit, vt sibi prædiolū venderet. Vocem, silentiū.) Oratores siquidē pluris tacēt, quàm dicāt: sicut Demosthenes, cū argentāginam pateretur. Meā autem)* σύγκρισις. *Fabritio.) De his iā sæpius dictum. Hæreditatē L. Pauli.) De adoptione Scipionis alicubi à nobis dictū est. nunc Plutarchum de Aemilij Pauli, deq; liberalitate in fratrē audiamus.* τὴν δὲ οὐσίαν αὐτοῦ μόλις ἑπτὰ καὶ τριάκοντα μυριάδων γενέσθαι λέγουσιν, ἧς αὐτὸς μὲν ἀμφοτέρους τοὺς υἱοὺς ἀπέλιπε κληρονόμους. ὁ δὲ νεώτερος σκιπίων τῷ ἀδελφῷ πᾶσαν ἔχειν συνεχώρησεν, αὐτὸς εἰς οἶκον εὐπορώτερον τὸν ἀφικανοῦ δεδομένος. *In Offic. etiā, de Scipionis erga sorores liberalitate dictum est. Plurimi sit.) Quid si legas, Plurimi fit? O dij immortales.) Epiphonema, per exclamationem. Capit ille.) Redit ad syncrisin. Sexcenta.) Sequor Vallā & Morisotum. Ceterū de Crassi reditibus, consule Budæum in 2. de Asse, Sexcenta sestertia. i. quindecim millia coronatorū: Cētena. i. duo millia & quingenti. Bud. M. Manilio.) Putant eum esse, qui & Oratoriæ & Iurisprudentiæ titulo claruit: cuius vita extat apud Bernardum Rutiliū in catalogo clarorum Oratorū. An verò hic ille sit, quia incertæ sunt cõiecturæ, affirmare temerè nolo. Nostro certè tēpore nõ facilè reperitur pauper orator, aut iurecõsultus: quia non est alijs professionibus vberior quæstus. Præclara paupertatis exempla extant apud Val. lib. 4. cap. 4. Lucinios.) Subscribo Morisoto. Non esse emacē.)* κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. *Mala emptio, inquit Plin. semper exprobrat stultitiam.*

INNOMINATVS. Quòd solus.) Solum sapientem aiunt diuitē Stoici, quia diuitiæ sunt in hoc positæ, vt sis cõtentus: qui autē abundāt possessionibus, quia semper plura quærunt, diuites nullo modo sunt habēdi. siquidē diuitias nõ metimur possessionibus. Principium paradoxi hypotheticum est, ac vehementi oratione reprehēdit Crassum, qui diues habebatur. Quæ est ista.) Explicat ratiocinationem, cuius maior ducitur à definitione diuitis: mox etiā definitio accõmodatur. Solus.) Hæc repetit cū stomacho. Quē enim.) Syllogismi est assumptio antithetica à factis Crassi, collecta per cõgeriem. Erat autem lex Romæ, ne Senator mercaturā faceret: attamen hoc quæstu ditatus fuit Crassus. Sin autē.) Crassus ex tēplo Iouis Capitolini duo millia põdo auri cepit, idē sæpenumero inuertebat vectigalia ærarij: accusatur igitur vt depeculator. Aut ne expectas.) Probrosa est epanorthosis. accusatur enim vt testamentarius, & testamentorum subiector Crassus. Huiusmodi facinus puniebatur lege Cornelia testamentaria. Filiam quis.) Argumentatur ab exemplo ficto, ac demū per cõparationem, eū qui cupiditates habeat, diuitiásque exhauriat, pauperem esse ostendit. Vt aiunt.) Fratres duo fuerunt, Danaus & AEgyptus, vel (vt alij malunt) Aegysthus. Danao fuerūt 50. filiæ, Aegypto 50. mares. petiuítque illas à Danao. quod vt permisit Danaus, singulæ maritos suos occiderunt, præter vnā Hypermestrā, quæ marito Lino pepercit, qui pòst occidit Danaū. Multi ex te aud.) Aliud est argumētum à Crassi testimonio, quo significabat se nondum esse diuitē. Ceterū Plin. ait ita Crassum di-

xisse, Nō esse diuitem eū qui legionē tueri reditu suo non posset. Ac Cic. exercitum dicit, qui multis constat legionibus. Ergo hoc.) Significat Cicero iustū exercitum habuisse 38. millia hominū, additis auxiliaribus. Legiones autē ex milite Romano & Italico scribebātur: auxilia à socijs petebātur: author Modestus. Itaq; istā paupertatē.) Crescit oratio, vt nō solū pauper sit, sed etiam egenus Crassus. Attexitur probatio per homœosin, & enumeratio prolixa turpißimi quæstus Craßi. Publicis sumendis.) Publicū appellauit Cic. publica vectigalia. vnde dicuntur publicani, qui publicū redimunt, vel, vt ait Vlpian. publicani dicuntur, ꝙ publico fruuntur. Qui tuas mercedū.) Significat Crassum vsum esse eloquentia ad quæstum, quod vetabat lex Sanctia, Ne scilicet Patronus ob causam agendam donum aut pecuniā caperet. Diripiendas prouincias.) i. diripienda prouinciarū vectigalia. Societate.) Societates appellat more iurisc̄ōsultorū c̄ōmunionem alicuius negociationis & mercaturæ. Vnde titulus est apud Iurisc̄ōsultos, Pro socio. Pecuniarū in coitionibus.) Coitiones appellat, quia cādidati c̄ōcurrebāt ad ædes Craßi, quibus pollicebatur certa pactione pecuniæ se corrupturum tribus in comitijs. Vel certè accipit c̄ōuentiones & c̄ōsilia in alterius caput inita, sic enim appellantur in lege Cornelia. Syllani.) Crassus vt est apud Plutar. Syllæ proscriptionibus diues euasit. Cui autē.) Minor est syllogismi propositio à repugnantibus, cui subnectit rationē: deinde adiicit c̄ōclusionem penè ab impoßibili. Meā autē.) Quoniā Craßi opes vituperat, necessariū erat vt de suis loqueretur: attamen prolepsi cur id non faciat, docet: & disputationē in alias personas transfert. Attamen legendū videtur, de re loquar: quia imposterū de Crasso verba nō facit. Si censenda.) Exemplorū adfert inductionē, quibus probat diuitias veras in virtute esse positas, nō in prædijs aut possessionibus. Estq; hic sensus paradoxi, quod dicit solū sapientē esse diuitem. An continentiā.) Continentiā appellat sæpe Cic. eam virtutē, quæ c̄ōtenta est rebus suis, nec appetit alienas. An liberalitatem.) Africanus iunior filius fuit Pauli Aemilij, adoptatus autē est à filio Africani superioris. Itaque cū migraret in aliam familiam, hæreditatis suæ partē fratri reliquit.

Quis igitur.) Ex superioribus elicit c̄ōclusionem per c̄ōparationem, cui subiicit sentētiam epiphonematicam. Venio iam ad sumptuosos.) Veluti per diuisionem diuites exagitat, quorum alij quæstuosi sunt & auari, de quibus dixit: alij sumptuosi & luxuriosi, de quibus nunc loquitur. Ac mihi notare videtur Lucullum, qui pulcherrimas habuit villas, Tusculanam & Neapolitanā. Capit ille.) Budæus lib. 1. de Asse. suspicatur hunc locū esse deprauatum, vt opinor, propter exiguitatem summæ: cùm Cicero loquatur de magnis opibus. Sexcenta sestertia efficiunt quindecim millia aureorū: centum sestertia, mille quingētos. Est autem c̄ōparatio exiguarum facultatum cum magnis. Nō modò.) Sūptus pecuniæ his rebus impensæ non tantum reddit domino, quantum redderet pecunia si fœnori oblocaretur: tantum abest vt fructum qualis ex prædio percipi solet, reddat. Vter igitur) Comparatio est in conclusione per contrarium, ac se ditiorē ostendit. M. Manilius.) Adfert exemplum hominis continentis, qui tamen seculo vixit luxurioso, vt tēpore Africani iunioris. In Licopo.) Legendum est in Labicano, qui fuit ager iuxta Tusculum. Etenim.) Locus est à c̄ōparatione. Scriptores autem rei rusticæ pratis primū locum inter prædia donāt, quia nullum requirunt sumptum. Areæ verò vrbanæ in quibus ædificatur, certißimū adferunt reditum, propter populi frequentiam. Qua præditi.) Ab hypothesi ad thesin ascendit paradoxum, additque descriptionem hominis, sola virtute nitentis, quæ consentit cū descriptione diuitis. Incertas atque.) Locus est à collatione per contentionem.

FINIS.

ceron. de Amicitia


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm